

CHRISTOPHORI GERTNERI
a
GARTENBERG
EPISTOLARUM
FAMILIARIUM
AD
DIVERSOS
CENTURIAE
DECIM.

Accessit
EPIGRAMMATUM
LIBER UNUS.

RIGÆ
Typis JOHANNIS GEORGII
WILKENII,
1680.

M. 11. 9. 20
BIBLIOTH.
ACADEM.
DORPAT.

CHRISTOPHORI GERTNERI
à
GARTENBERG
EPISTOLARUM
FAMILIARIUM
CENTURIA
PRIMA
AD
ADOLESCENTEM
Genere ac Nobilitate suæ
civitatis facile Principem : Nunc Pa-
tronum ac Mœcenatem studio &
obsequio nostro imprimis
dignum.

Est.
B. P. 249

249



EPISTOLA

I.

VT Epistolæ tuæ statim respondeam, plures causas habeo, junctas illas quidem & magnas, sed justiore nullam, quàm quod votum augendæ per literas & quodammodò amplificandæ familiaritatis festinata scriptione Domine præcepisti. Curare enim debeo, ne, si vel in breve tempus responsum differam, lentè & fastidiosè accepisse videar, quod abs te omnibus precibus petere, atq; adeò contendere vellem. Ago autem gratias singulari humanitati tuæ & dabo operam in posterum, ut palam fiat, potuisse

CENTURIA PRIMA.

tuiffe te literarum commercio isti quædam quasi initia dare, studio & amore vincere non posse. Vale!

II.

ADhuc meo officio & tuæ expectationi multo epistolarum numero satisfeci: Et tuam circa me diligentiam literæ, quas mihi communis amicus à te reddidit, testantur. Sed molestè fero inæqualitatem muneris. Igitur te rogo, ut longissimis epistolis meis æquè longas reddas, nisi ipse brevissimas à me expectas. Ego sanè epistolas, quas in posterum mittes, diligentissimè expendam, & non tantum paginas, sed etiam syllabas atque adeò literas ipsas numerabo. Vale!

III.

Literis tuis, ut quæq; mihi redditur

tur, statim & plerumq̄ve extemporaliter rescripto satisfacio. Nam nec honor sermonis, quo me dignaris, nec amoris vicissitudo, quam studio tuo debeo, moram ullam patitur. Nunc certè eodem puncto temporis, quo tuas accepi, respondeo, & in hac inopia rerum verbis etiam libenter indulgeo. Qui nihil unquam studio meo abnuisti, non dubitabis etiam inanem paginam, & nescio quid malæ phraseos, sumere. Si scitu digna obvenerint, morem meum secutus dabo ad te epistolam ponderosiorum. Interim valetudinis meæ certus tuam curabis, & subinde desiderium tui recentibus scriptis solaberis. Vale!

III.

Quæquam ea, quæ scribo, nec ab indoctissimis legi, nec à doctissimis velim; tamen, fretus humanitate tua,

tua, scriptum de informatione Principis, quod vides, doctissimo tuo iudicio submittere non vereor. Nam provocatur spes mea præjudicatis, & te probaturum confido, quod alios non improbasse gaudeo vehementerq̄ lætor. Mihi certè fiducia mea, h. e. firma animi mei confisio de candidissimi pectoris tui suffragio, vitio dari non potest: Cum iudiciis reliquorum, qui nullo mihi studio, nullo usu, nulla benivolentia noti sunt, statim & sine scrupulo crediderim. Vale!

IV.

TU quidem iis artibus, quibus à pueris dediti fuimus longè multumq̄ præstas. Quò magis miror, te opem styli mei expetere. Mei, inquam, qui neq̄ humilia tenuiter, neq̄ magna graviter, neq̄ mediocria temperatè dicere didici. Verùm quam plurima sunt, quæ à fiducia placendi me dehortantur; tamen addu-

ci non possum, ut meum erga te studium officiumq; ullo tempore intermittam. Re quidem ipsa mihi ideo non satisfacio, quod in opera tenui nullam partem meritorum tuorum consequor: quippe tanta illorum multitudo est, ut quoque me vertam, monumentum & signum aliquod studii in me tui reperiam. Sed neq; ob eam quidem causam visa est supersedenda occasio, quam studio meo præbui. Itaque hodie, antequam luce-
ret, aridam & jejunam oratiunculam, quam vides, & de eadem opera & oleo hanc ad te epistolam exaravi: quæ si tibi minus placebunt, culpæ bonam partem in te suscipias necesse est. Quandoquidem tarditatem ingenii mei & antè expertus es, & nunc præcipuè meminisse debebas. Verbo: Hoc planè non erat onus meum: sed tui. O si tu quoque infantiam meam! Fac ita, mi Comes, & vale!

V. Ini-

V.

INiquus es, ferri non potes, cum culpam communis delicti, & tui majoris, in me unum transfers. Quippe nec de negligentia officii queri potes, quod, rus profectus, ipse auspicari debuisti; neq; de tarditate responsi, quod eadem, qua tuas accepi, hora de rebus omnibus prolixum reddidi. Si tamen pertinere ad officium meum putas, scribendi semper initium facere, fac saltem, ut ex literis aliorum cognoscam, quæ rura nunc perages, & ubi porro rusticari velis, ne meas frustra mittam. Sin ordinem servare mavis, & peregrè profectus prior, ut debes, scribere; ego quoque ad exercendum stylum paratior ero, non tantum à te provocatus, sed etiam mea sponte ad communicandum participandumq; inclinans atq; propendens. Vale!

VI.

Quod ad te sæpius scribam, mira-

A 5

11

ri Domine pluribus de causis potes. Nam ut nihil dicam de oecupatis meis temporibus, quibus negotium perraro otiosum est; Tardari conscientiam mediocritatis meae poteram: qui, uti amore & officiis cum tui similibus certare nimis volo; ita & literis & omnibus aliis rebus a te vinci adeo non grave mihi duco, ut id vehementer desiderem. Te quidem otiosum aliquando diem, & sine labore atque contentione, traducere opinionis falsis putabam; Sed tu, dum substantiam illam sidereis mentibus cognatam, dum aurae divinae illam particulam contemplatione rerum magnarum exerces, corpus insimul spontaneis lassas operibus, ut necessariis postea sufficiat. Hujus rei certum nobis argumentum dedit hodierna tua diligentia: cum & pugnatoriis armis cum multis strenue batueres, & mox de rebus amplissimis sane luculenter disputares. Amo te eo nomine charumque;

rumque; habeo: Erisque Magno tuo parenti tanto charior, quanto diligentius & studiosius in has exercitationes animi & corporis exardesces. Tibi vero & intelligendi prudentiam acues, & eloquendi celeritatem excitabis: corpus porro (nam joco finiam) valentissimum & ad pulsandos verberandosque homines exercitissimum parabis. Vale!

VII.

Tanti te facere nostrum erga te amorem meritissimum, gaudeo. Declarasti id videlicet luculentissime recenti epistola, eaque tam argute, quam morate scripta. Qui non pergam te amare & affectum testari respondendo? Quaecumque; cujuscumque; argumenti a manu tua unquam venient literae, erunt certe gratissimae. Cum primis acceptissimum erit intelligere, quid in commodum vestrum effecerit oratio vestra panegyrica, sine controversia omnium ejus generis

neris præstantissima ? quam scimus non ob hanc tantum causam à Secundo nostro scriptam esse, ut Imperatori optimo virtutes suæ veris laudibus commendarentur ; sed etiam ob hanc potiore, ut futuri Principes præmonerentur, qua potissimum via possent ad eandem gloriam niti. Sanè ut admirabile istud scriptum, plenum prudentiæ & literatæ senectutis, illum ipsum Trajanum æquali virtutis, sine ulla offensione, cursu ad extremum vitæ finem perduxit ; ita fieri vix posse arbitror, quin te quoq̃ ; fiducia virtutis ad omnia egregia nitentem, in eodem vitæ tenore conservare possit, adeoq̃ ; indies meliorem reddere : dummodò pietatem optimi Consulis imitatus, uti rerum agendarum, ita dicendi initium à precationibus capias : quandoquidem commoda, quibus uteris, Incemq̃ ; qua frueris, spiritumq̃ ; quem ducis, à DEO tibi dari atq̃ ; impartiri

Domi-

Domine vides. Hunc tibi placatum pietas efficiet & sanctitas. Vale!

VIII.

NUnquam cogitavi, fore facile, ut meam in scribendo industriam assequi Domine posses : Nedum ut vincere, aut, quod à me semper abfuit longissimè, negligentia mihi crimen inferre. Gratia tamen Deo, qui, præter meam expectationem, diligentiam tuam indies auget & amplificat : qua ut cedat ad gloriam divini nominis, faxit idem optimusque maximusque ! Tibi verò gratias ago habeoque, quod & nostri memoriam benigne conservas, & nobis cessantibus, amicitia hæc munia alacri animo exequeris. Tuo credo experimento percepisti, quam solem omnia officia amicitiaè diligenter sancteq̃ ; servare : quâ porrò facilitate omnibus me dederè, omniumq̃ ; obsequi studiis, in quibus animadverto bonam

A 7

bonam habitare mentem : Quam tibi Numen seruet perpetuam ! Et tu quæso humanissimis & politissimis epistolis perge mihi eam declarare. Vale !

IX.

QVemadmodum stylo temperare non possum , quotiescunq; commoditatem ad scribendum idoneam habeo ; Ita si apta res nulla sit, de qua scribam , salutem quislem ipsis tantum verbis necessariis expedio. Odiosa enim est loquacitas, quæ in re propè quotidiana verborum inutilium excursu longius provehitur. Salvebis igitur Illustris Domine sic breviter à me, & epistolæ meæ necessariam contractionem prosperorum tuorum voluntaria productione pensabis. Vale.

X.

FRustra es, cum apud me sermonis penuriam excusas, quando os tuum extemporali etiam facundia fluit,

fluit, omnique elegantiarum copia circumfluunt & multæ & variæ & copiosæ literæ tuæ. Ne mihi igitur rem incredibilem persuaseris. Alia inopia, alia copię signa sunt. Nec discipuli tibi nomen jure vendicaveris, cum facile, in hoc præsertim genere, ipsum magistrum superes. Vale !

XI.

SI absentię tuæ damna nunquam animo æquo tuli, quo me tandem animo ferre credis, quod te adversa valetudo tenet impeditque, quod minus relegas non longulum iter. Sanè quàm ne audire quidem tam tristem & inopinatum nuncium, nisi mœsto & conturbato animo, potui. Sed non solum me, verè tuum, & qui te plus quàm oculos hosce : verum totam hanc literatam sodalitatem paulisper ad spem erexit, quod heri tibi meliusculè fuisse audivimus. Quapropter si porrò tanget nos, aut, quod ipsum

ipsum quoq; abominentur superi, perleviter punget tristior nuncius recurrentis mali, missa peropportune paginâ augefcenti dolori nostro obviam ibis: Sin incipit res melius ire, quam nondum etiam scimus, (quid enim malimus omnes?) lætitiâ duplicatæ scriptiōnis voluptatem communem augebis. Vale!

XII.

AMicitia officium & jus, velut aliis in rebus, ita literis ad te scribendis libenter præsto: Sed malim, quod tibi non significandum solum, sed etiam declarandum existimo, cis pauca procedentis horæ momenta, coram per otium exponere. Interea tamen salutis dicendæ deserviet Lacinisum professâ paginula: Cujus contractio satis nostræ amicitia faciet, nec materiem proximi sermonis absument, Vale!

XIII.

XIII.

ET temporis felicitati congruit, & præstanti ingenio tuo solenne est, in rebus illustribus & cognitione dignis operam curamq; ponere. Hinc mihi fiducia nata est hortandi te literis meis, ut recentem Christianorum victoriâ stylo prosequaris, magnaq; cum cura & diligentia ad me perscribas. Scio, artem divisionis, inventio-num copiam, sensuum gravitatem, lucem denique verborum tibi affatim suppetere. Eò facilius ad destinata pervenies: modò ut quam primum & calente adhuc judicio scribas; ne, quod auditione & famâ de re tota accepisti, longiore temporis intervallo è memoria effluat atq; elabatur. Vale!

XIV.

Qui silentium tuum antea per menses & annos patienter moderatèq; tulissem, idem diurniorrem prolationem narrationis, quam
de

de recenti Christianorum victoria nobis pollicitus es, etiam non molestè ferrem, nisi scirem, novostibi atque exoptatos nuncios venisse, qui, quemadmodum tota res gesta sit, pluribus verbis exposuerunt. In metu igitur sum, ne crebrior ejusdem rei cogitatio non nihil afferat satietatis tibi atque fastidii, ut, quasi expletus saturatusque novarum cognitionum epulis, eas ad me referre porro cesses, aut planè negligas. Atque ideo mihi denuò rogandus orandusque videris, ut curas benignè, non gravatè susceptas, non invita diligentia studioque digneris absolvere. Dabo operam, ut in reddenda vicissitudine multa mihi tecum paria, quædam etiam superiora esse appareat. Nam qui ab alio officia amicitiaë exigit, suæ quoque operæ ac studii uberem usuram pollicetur. Vale!

XV.

TE celebritate & conventibus delecta-

lectari, satis scio, etiamsi nullus scribas. Ego verò, mi Comes, gratiam magnam habeo huic animo, qui mihi solitudinis & literarum aviditatem indies auget, theatri ac spectaculorum minuit. Cupido talium rerum, nec experto, odiosum fortasse & molestum sit, iis non in omni vita & ubique frui: Expleto verò saturatoque jucundius omnino est vanitatibus carere, quam frui. Quanquam non carere videtur is, qui non magnoperè cupit & desiderat. Dum res & ætas tulit, fructus sum: ut semper fruerer, nunquam optavi. Vale!

XVI.

Non potest satis verbis dici, quam atrocia, quam tragica nunciantur de rebus Hungaricis. Et cum alia multa me sollicitum habent, tum hoc præsertim affligit, quòd ajunt, Serinium tuum, quem amplissimis laudibus ornare solebas, cum fortunâ antea florentissimâ usque esset, nunc indiguissi-

dignissimam subiisse. Diversitas narrantium incertum facit, quò fatò perierit : In prælio & acie cecidisse eum inter omnes convenit. Constat quippe, non Ducis modò, sed militis etiam munere eum fungi solitum ; quæ res ipsi finem acceleravit. Nam cum illum tota acie volitantem conspexisset Scythia jaculandi artifex, Ducem exercitus ratus, direxit tanta arte sagittam, ut in mediam frontem adigeret. E diverso sunt, qui opinentur eum, dum manu, voce & vulnere sustentat pugnam, ante efflatam animam devenisse in potestatem hostium, qui minutis ictibus excarnificatum necaverint. Amisso Duce residua Germanorum manus passim truncidati : & plerosq; transire Tanaim conantes injecta tela, postremo moleruentium & fracta glacies operuit. Scio hoc tibi gravius multò & durius esse : verum ego id haud minus impatienter fero, qui nescio, nec ratio-

rationem capio, quis opem ferre patriæ velit, quis succurrere saluti fortunisq; communibus. Metuo enim, ne metus & terror multorum animos, qui hoc bellum cupidissime sumebant, taret aut planè dejiciat. Taceo suspiciones alias. Tu si quid certi habes, ut scribas, rogo. Vale!

XVII.

ET si satis clemens sum intolerantibus amicorum delictis, tamen interdum irascor nimio silentio tuo : quanquam ne sic quidem efferor dolore aut iracundia progredior longius, quàm convenit. Nam vel recens scriptio tua, vel missa per alios salus, amicam succensionem statim mitigat. Quin igitur revertimur ad veterem consuetudinem assidue, istius & quotidianæ salutationis, & acerbitatem temporum multis & magnis inter nos officiis paribus ac mutuis lenimus? Vale. XIIIX.

Jamdiu nihil novi ad nos de te studiisq;

diisq; tuis afferebatur, incertiqve
obscura spe & expectatione pende-
bamus omnes, cum literæ nobis à te
redduntur longæ & multis verbis
scriptæ. Igitur postquam bono ex-
petito abundè potiti sumus, sollicitu-
dinem istam in gaudium converti-
mus. Et profectò natura ita com-
paratum est, ut conquestio de re
diu desiderata desinat, simulatq; ejus-
dem compotes reddimur. De do-
ctissimis scriptis Muchingeri nihil pe-
nes me est, præter aliquot epistolas,
quas mitto. Tu illas lege & eloquen-
tiam, quam in illo viro omnes susce-
pimus, quam admirati, quam nos affe-
qui posse diffisi sumus, vel ex istis pa-
gellis agnosce ac perspice. Vale!

XIX.

Igitur è lecto, manu agræ, sicut tuæ
memorant, ad me scribere illustris
Domine voluisti, ut agræ menti no-
stræ pharmaca solatii propinares?
Agnosco affectum: quem pensabo
omni

omni officiorum genere. Equidem
multis quereretur de fundi mei calami-
tate; si querelis aliquid proficerem;
Sed ego respiciens omnium autorem
DEUM, digito compesco labellum:
Aut adaperto etiam ore gratias divi-
næ ago benignitati, quæ meam op-
portuno tempore, in gravissimo mor-
tis agone, respexit & mirificè libera-
vit longèqve benignissimè. Fleui cum
flente: gaudebo item cum gauden-
te. Illa tamen gaudet in perfectio-
ne; ego in imperfectione. Illa frui-
tur gloriâ; mihi sufficit Domini gra-
tia. In tantum me erigere cœpi:
DEUS fulciat labantem! Etiamne
ego sine fine modoqve dolerem da-
mna piscinæ privatæ, qui imminere
video aliquam Republicæ cladem?
Avertat hanc omnipotens, illam tua-
tur! Vale.

XX.

NUnquam cogitavi, fore facile
mei in Heroum convivio aliquam
mentionem, nedum, sicut scribis, tam
bene-

benevolam. Gratia tamen sit DEO
 qui præter meam expectationem
 apud alios bonam de nobis excitavit
 opinionem; quæ ut cedat ad divitiarum
 gloriam nominis, faxit idem bonorum
 omnium autor & fons! Tibi valebis
 rō, sicut mereris, gratias habeo, quod
 ita letaris, quemadmodum intelligitur
 recordatione nostri benevola. Et
 multis audivisti; nam comperisse
 in ista fortuna non audeo dicere
 quo sim affectus erga quosvis animam.
 Tam visos, quàm nunquam visos aestimo,
 quibus adesse ornamenta bonorum
 mentis video: qua nihil adesse hominum
 præstantius potest. Eam tibi, mihi
 nobilissime Domine, Numen perpetuum
 servabit, tuq; eam mihi quotidiè
 magis ac magis declarabis, hoc
 est, per literas mecum sæpissimè collo-
 queris, valebisq;.

XXI.

Igitur me
 Don
 stræ
 Agno

Deliberationem meam, ac tempus
 ipsam, quod ad deliberandum
 postea

PRIMUS.

postulavi, indies magis probari, non
 invitatus audio: atq; adeò expecta-
 bam, ut consilium meum ejusmodi
 nuncio confirmares & id, quod
 contra diceretur, argumentis refel-
 leres. Cùm enim spes utilitatis, quæ
 ostenditur, ad se rapere, ratio di-
 gnitatis contra revocare ad se videat-
 ur, aliter fieri non potest, quin di-
 strahatur in deliberando animus, af-
 feratq; ancipitem curam inquiren-
 ti. Itaq; differri negotium petiit,
 ut quàm diutissimè integrum esset,
 eligere, utrum vellem. Quoniam
 autem functione altera, ut audio, for-
 tasse excludemur, hanc diutius re-
 tinere non potero. Facilior impe-
 ratio erit rei, quæ ante pedes est,
 quàm ejus, quæ procul apparet. Val-

XXII.

[Ubet experiri, quid felicitas se-
 culi, quid desiderii nostri ratio,
 quid amor & benevolentia tua, si ita
 diligis, prodesse amico possit.

B

Ego

Ego Raschium nostrum pro ejus maximis clarissimisque virtutibus sic amo charumque habeo, ut præter amabilitatem tuam mihi nemo sit amabilior, nec jucundior, nec charior. Et licet pro meritis suis nullam ipse mercedem dignitatis, nullum insigne honoris, nullum monumentum laudis postulet; Nos tamen, quod præmium pietati ejus debetur, de tuo amore & benevolentia dissolvere cum vehementer cupimus, tum me herculè etiam debemus. Præstabis rem animo meo gratissimam, tuis cæteris factis convenientem, consentaneamque personæ & commendationi nostræ, si Illustris Domine efficies, ut vir optimus intelligat, quicquid bene & ex præscripto virtutis egit, id se bonorum tuique similitudini & judicio detulisse.

XXIII.

Tu quidem admonitionibus meis non eges; sed, à puero in artium studiis

studiis liberalissimis doctrinisque versatus, consiliis in omnem rei usum paratis affluis vel abundas potius. Quia tamen homini amicissimo officium omni occasione & tempore libenter tribuimus; non modo facile patieris, sed etiam gaudebis Illustris Domine, quòd parvo hoc opusculo, lucubrato his jam contractionibus noctibus, vigiliis tuas sublevare & minuere laborem cupio. Quare si quid ambobus cogitatum reperit, quæ insinuabit officiosa pagina, fidentius amplecteris, tanquam duorum comprobatum judicio: si quid melius curâ propria repereris, in lucro deputabis, quod & amico animo scripsimus & ita suppeditamus, ut nullum nostrum interponamus judicium, sed tuum exquiramus.

XXIV.

Hæc schedulâ nihil amplius, quam quantum expedire salutis sufficere visum est, tam occupationes

tuas respiciens, quàm ipse maximè
implicatus, exhibeo. Quod si mi-
tiores in partem Illustris Domine
interpretaberis, brevi mihi nec di-
ligentia ad scriptum copiosius de-
erit, nec occasionis tarditas expecta-
bitur. Dii modò dent, ut quod forte
animo agere instituisti, fauste, feliciter
prosperèq; sub manu succedat.
Sic sanè lubentia mihi promptior
erit ad mittendum, quod tu vel oc-
cupatus summa voluntate sumas; &
ad legendum, quod, cæteris curis va-
cuis, egregia animi alacritate re-
spondeas. Vale!

XXV.

Dies nullus est, quin ad te gra-
tiam aliquam epistolam mittam
plenam non modò omnium actio-
num, sed etiam cogitationum mea-
rum. Non reprimo impetum nec
ardorem restinguo, etsi curam parit
& mutuae diligentiae Domine diffi-
cultas. Nam observantia, quæ hoc

uor

nore & dignitate antecedentes re-
veremur & colimus, cum in conse-
tudinem abiit, etiam sine spe vicissi-
tudinis præstatur. Nisi tamen ali-
quantò etiam majore impetu in hæc
officia humanitatis exardescam, ubi
cupiditatem certandi te ardoremq;
mentis ad victoriam sumsisse intelli-
gam. Tantisper operam dabis, ut
valeas, mi exoptissime Domine.

XXVI.

Adolentia vestrae convenit, in
sylvis densis & asperis feras ex-
citare & agitare bestias, studiisque
urbanis exercitationem campestem
interponere: Nostra hæc ætas ut
non infirmissima, ita laborum juve-
nilium minimè tolerans, partis &
certis frui præoptat. Nec displicet
exemplum, quod in ave longis invisa
colubris figurat fabulosa antiquitas:
quod ætas provecta & infirma ali-
mentis, ab ineunte illa & robusta
comportatis, refici soleat & recrea-

B 3

ri.

ri. Quamquam nunc abstinere à ferri-
no victu satius esse puto, ne fortè vul-
pecula, canum tuorum latratu in-
tercepta, nobis pro lepusculo appor-
natur. Nec tamen ideo amplitudi-
nem liberalitatis vestræ minuet ab-
stinencia nostra, sed augebit potius.
Nam etsi jure mihi hæc cautio &
provisio est, ne ludus fiam lepidis do-
nis vestris; honestas tamen muneris
satis charitati nostræ amorq; facit.
Valebis igitur, & sicut heri in remo-
tis saltibus, sic hodiè in sylva dome-
stica librorum Domine venabere.

XXVII.

Olim, quid de rusticatione tua
senserim, audisse te arbitror.
Non igitur rem novam mihi, sed ve-
terem meam sententiam laudas, cum
de loci istius amœnitate & gratia
idem judicas. Rarò ante hoc tem-
pus & timidè quodammodo com-
moda tam jucundi & fertilis solibre-
vis mansio tua delibaverat. Ea nunc
usu

usu longiore plenius perspecta & co-
gnita amare cœpisti: unde fieri arbi-
tror, ut solito tradius in urbem re-
deas. Graviter molesteq; ferrem
damna absentia tua, nisi absentis de-
siderium crebris & longis epistolis
levaretur. At si optatis meis pro-
spera fortuna respondeat, cupiam,
quod reliquum est æstivi solis, in
amœnissimis istis hortis vobiscum
agere, ut & locus corpuscule huic sa-
lubritatem, societas & conjunctio
nostra animo jucunditatem præstet.

XXIIX.

Diu est, cum in eam opinionem
veni, illustrissimum patrem tuum
conjecturâ fortasse nonnullâ, quam
de meis moribus studiisq; habet, ad-
ductum, nostra non omnino sper-
nere, aut pro nihilo putare. Quam
benignum verò & liberale ejus judi-
cium de versiculis, quos superiori-
bus diebus de majorum tuorum vita
& meritis jussu illius scripsimus! Ap-

paruit sanè ex verbis amplissimis, quibus facultates ingenii mei, quæ nullæ sunt, in frequenti Heroum convivio prosequutus est benignissimus Mæcenas, tantum mihi illum tribuere, quantum ipse nec agnosco nec postulo. Nisi tamen magis iudicium suum, quam nugas meas commendavit. Quid enim hic nostrum præter vocabula aliquot poëtica? Ita totam hanc narrationem totidem ferè verbis, quot ab illo nobis elegantissimè præscripta est, reddidi, Quod propter magnitudinem rerum & difficultatem purè & emendatè fieri vix potuit. Quæ res, ne quam existimationi nostræ maculam inureret, quam postea eluere non possem, vehementer quidem, sed immeritò metu; quandoquidem tuum quoque iudicium intelligo cum gravissimo Patris iudicio congruere. Quod ut perpetuum esse velis nosque contra malevolorum nimis callidas, sed malitiosas

tiosas interpretationes frigidasque calumnias porrò tueri atque defendere, vehementer te rogo atque etiam oro.

SI quis in hanc serus spectator veneris arcem,

*Verbaque Phidiacæ legeris ista manus;
Hinc, quibus hos Domini quondam virtutibus agros,*

*Et decus æternum promeruerit, scies.
Scilicet Arctois Pontus dum præsidet armis,
Et clarum Moscho nomen ab hoste refert;
Gardia Gens toti mox innotescere Regno
Cæpit et hoc meritæ laudis bonore frui.
Is bona, dum satis concedit, parta Jacobo,
Et, quæ pro patria gesserat, arma dedit.
Qui simili patrium ferrum virtute capefens,*

*Ipse novum meruit præcipuumque decus:
Dum, varia tandem Livonis clade subactis,
Quinque viri retulit publica signa Ducis.
Jam millesimus et jam sexcentesimus annus
Viderat aut umnos octo decemque sequi;
Cum nova jam Comitri bellatrix præmia virtus
Pinguia Leccovii contulit arya soli.*

*Qua ratione potes non esse Jacobe beatus,
Hæc quia Gustavus Rex dedit ipse tibi!
Sic simul invidiam pulcherrima facta secu-
tam*

*Vincis et ex omni tempore major abis :
Donec te lustrum decuplex annusq; secur-
dus ,*

*Post sex atq; decem secula , obire videt.
Successit Patrii tibi Cancellarius orbis,
Priscarum magnus Gabriel auctor opum.
Is velut hunc agris Comitatum insignit et
auget.*

*Et magnis templum sumptibus ædificati
Sic montis natos implet serosq; nepotes,
In laudes ut avi et facta Parentis eant!
Utq; animum gratum nullo non tempore
Regi*

Obsequio præsent, civibus officiis.

XXIX.

TAndem aliquando cum prima
luce in Echolmianum venerunt
magni parentes tui. Qua de re cum
vos anxiose esse suspicaremur, neces-
sitate percontandi missa confestim
epi

epistola antevertimus. Nec est, quòd
credas, magis vos propter difficul-
tem nocturni nostri itineris pertur-
batos fuisse, quàm nos de ipsa per-
turbatione vestra fuimus solliciti.
Quod igitur seræ percontationi re-
sponsum reddere deberemus, prior
epistola multis verbis absolvit. Nunc
vos iudicate atq; perpendite, quantò
nostra de animo vestro clementior
fuerit sententia, quàm vestra de cu-
ra & sollicitudine nostra. Nos enim
gravitatem metus vestri animo pro-
speximus, antequam scriberetis; Vos
propterea scripsistis, quòd nos scri-
pturos, nisi literis vestris provoca-
tos, non credidistis. Vale!

XXX.

Solebat prisca superstitio initium
familiaris colloquii à dicenda salu-
te sumere. Ego me rectius facturum
arbitror, si eam tibi mentis affectu
prius, quàm ope styli expediam. Igi-
tur nunc locum non necessariæ insi-

nuationis scitu digna occupent. Magnus parens tuus ex urbe & aula, tanquam è vinculis, rus evolavit, ubi cum Scheffero complures horas nullis in aliis, nisi de ratione studiorum tuorum, sermonibus versatus est. Si quid cum illo constituit, quod nos scire volet, brevi omnes evocabimur. Quod nolim sanè æstuosa hac & pulverulenta via. Metuo enim corpusculo tuo, ne nondum confirmatum vel nimio calore, vel impulsionem aliqua vehementi labefactetur & ad morbum adigatur. Ne igitur temerè in laborem & periculum vocemur, remedio utemur literarum, & Domino parenti significabimus, tibi quiete opus esse, donec te planè cori obores atq; confirmes. Quod simul atq; Hippocrates aliquis salutaris medicina effecerit, optatum indicium non morabimur. Vale!

XXXI.

Non displicet amica accusatio,

qva

qva debitum officii flagitat. Sed cum omnes partes vel officiosi animi, vel, si ita vis, fidelis amici, diligenter adhuc sancteq; expleverim, frustra & sine caussa mecum illustris Domine litigas. Quod vel servulo tuo teste planum faciam, qui & scire debet æquitatem excusationis meæ, & caussam, cur mentiatur, non habet. Is nempe, cum hodie ad me ante lucem venisset, epistolam, quam commodum ad te exarabam, culpâ suâ, id est, exiguâ impatiens moræ, sumere neglexit. Vides igitur Patrone, omnem mihi apud te officii ac muneris rationem constare: quod vehementer cupio & opto. Nam si molestum est, ob proprium peccatum erubescere, non potest sanè non esse molestissimum, ex alterius delicto culpam neglecti officii contrahere.

XXXII.

Fateor, me parùm commodè interdum occupata tempora tua in-

B 7

ter.

terrumperere. Sed quoniam ipse commercio literarum vehementer delector, te quoq; arbitror ejusmodi oblectamenta non tantum nō aspernari, sed etiam expetere. Tuum autem sermonem invicem spero, non flagito. Iniquum enim est, ardentem petere, quod in spe habeas; ne, quod nostra sponte nostroq; judicio tribuimus, eripi censeatur. Agrè quidem assiduitatem fero silentii tui: quod genus expostulationis esse frequentibus literis satis cupiditati meae fecisti. Quapropter & gratias nunc ago, & si cum commoditate tua scribere frequentius potes, plures à te literas expecto. Hæ enim solæ id gratiæ secum afferunt, ut nullam copiam suam fatietatem; nullum fastidium pariant. Vale!

XXXIII.

Ajunt in amicitiiis colendis nihil esse remuneratione benevolentiae,

tiae, nihil vicissitudine studiorum jucundius. Non utar in re minimè controversa argumentis non necessariis. Eorum quippe, quæ dubia sunt, afferemus rationes; illorum, quæ constant, exempla ponemus. Tuo Illustri Domine beneficio, non dicam, ostendis, sed libenter studioseque ostendis, ita se rem habere, nec dubium esse posse. Nam quoniam literas nostras tuis plerumq; æquè longis compensas atq; remuneras; facis profecto, ut similitudo ista studiorum animo meo longè jucundissima accidat. Et quamvis interdum tardius, quam vellem, ad nostra respondeas; non queo tamen adduci, ut credam, potius voluntatem respondentis tibi, quam occasionem deesse. Neq; enim fieri posset, ut sponte nobis negares honorem sermonis tui, quem mox missis non paginis, sed voluminibus, non modo liberaliter, sed etiam largiter cumulateq; exhibes.

bes. Quid igitur mirum, si quotidiè crescit apud nos gratia meritorum tuorum? Sed in ista parte verior esse debeo, quàm verbosior. Non enim opus est vanitate verborum niti, cum te malim rem ipsam ex veritate officiorum meorum cognoscere. Vale!

XXXIV.

Non oblitus consuetudinis atque instituti mei optimo cuique amore & benevolentiam tuam concilio. Nunc quidem Virum amicissimum, admiratorem virtutum tuarum, in fidem & clientelam tuam promptus insinuator adduco. Modestiam ejus primus aspectus, reliquas virtutes honesto viro dignas longior consuetudo indicabit. Hunc, non rogarem, ut multum amares, nisi planè dignum judicarem, qui laudem probi & benè morati viri iudicio tuo mereatur. Atqui hanc laudem statim merebitur, atque ideo tibi statim dignus erit, quem more tuo pluri-

plurimum ames. Sed non oportet ista pluribus expedire. Neque enim suffragio meo alligandus es, cujus ego sententiam libens sequar. Illud adeo ad extremum te rogo, ut in amore nostri quoque Illustris Domine persistas atque permanes: Nisi tamen hoc etiam injuriosum est à te petere, cum plura & majora nobis præstare non rogatus soleas. Vale!

XXXV.

PRorsus commoti sumus incommodo valetudinis tuæ. Nunc postquam ea tecum rediit in gratiam, lætitiā apertè ferimus. Ex omnibus enim optatis hoc semper fuit præcipuum, quod de tuta atque integra conservatione salutis tuæ optavimus. Quo optato impetrato omnibus profectò lætitiis incedimus. Nunc si paululum roboris assumerint vires tuæ, id nobis porro indicabis ponderosā aliquā epistolā potius, quam consuetā istā paginulā. Odi genus lite-

literarum omnia verba, omnes syllabas numerantium. Quid enim rustica illa & inculta parsimonia bonorum verborum, nisi fastidium & offensionem significat? Fuit olim Latonica isti frugalitati honos aliquis apud seculum prius; nostro Asiatica in dicendo ubertas & copia magis placet. Quid, quod te Oratoris tui (Curtium dico) quadam quasi lege convenire possum? Sed nolo pluribus tecum super ea re agere, ne pro maleficio beneficium maximum reddam, si schidulae tuae longiorem epistolam. Præterea hoc etiam veretur, ne meâ productione injuriam faciam contractioni tuae. Mori igitur meo nunc frænos injicio, dum ad tuum me conformo. Agnoscis illustris Domine invidiam, in quam adductus es; ut videaris non nisi brevem epistolam admittere, ni prius longam ipse emiseris, Vale!

Mihi maximæ curæ est, assiduitate literarum te ad studium mutui sermonis impellere. Nam nisi officium iterò continuoq; nulla tibi familiaris colloqui curatio est. Credo, te sedulitatem meam officiosam potius, quàm molestam judicare. Verum quomocunq; illustris Domine statuas, mihi certum est, nominis tui decus literis meis in celebritate maxima & oculis omnium ponere. Adeo pertinax silentium tuum meæ perpetuæ atq; constanti erga te voluntati nihil derogat. Neq; immerito. Nam studium amoremq; apud neminem rectius collocavi. Atq; hæc causa est, cur ægrius molestiusq; feram, si Musæ tuæ de nobis diutius fileant. Nosti teneros amantium affectus & ad omnem suspicionem neglecti officii queribundos. Sunt, qui putent, oculis quoque & quovis motu corporis offendi amicitiam

tiam. Quid illi tam duri iudices de isto tuo ergo me animo, & de perpetua taciturnitate tua pronunciant? Tute ista consideratius expendes. Ego certè diutius tacere non debui acerbum animi sensum & dolorem, quem longinquitate temporis augetur; sola autem assiduitate familiaris alloqui minui sentio atque molliori. Vale!

XXXVII.

Longè falluntur opinione, qui Dominam rerum humanarum Fortunam non solum ipsam cæcam esse, sed eos etiam cæcos efficere arbitrantur, quos complectitur. Illa verò, si verum fateri volumus, in te ornando acuta & perspicax, ea tibi contulit, quæ & generi tuo & præclaris tuis virtutibus conveniunt. Non igitur per tenebras erroris Dea & insitiæ dominatur, quam videmus aliorum conatibus donum, meritis tuis mercedem tribuisse. Sic enim

enim jure merito interpretor Magistratum, quem tibi Academia Patria maximâ omnium lætitiâ mandavit. Dices, quis ille tam citus index honoris nostri, qui nobis ipsis ante hodiernum diem non indicatus est. Latè per urbem disseminatus dispersusq; sermo: Cui probabilia & similia vero nuntianti statim credidimus, statim aliis narravimus. Neq; enim hoc loco expectandum erat, ut literis tuis me certiore faceres. Quæ hæc expectatio? Aut quæ dilatio gaudii? Facio igitur propemodum, quod tuarum partium erat; & quæ poteram ex te cognoscere, festinata scriptiōne quodammodo significo. Sed noli putare, ideò me celeritate ista usum, ut labore familiaris officii, Illustri Domine, supersedeas. Rectius feceris, si eum me esseingas, qui de tota hac re nihil certi habeat, nihil planè cognoverit. Sic enim fore arbitror, ut &

tu novum mihi honoris tui indicium facias: Et ego denuò gaudeam, tibiq̄ve iterum gratuler. Vale!

XXXIIX.

Judicem te sumo sermonis metri-
ci. Accipe & lege, si tuæ nego-
tium Musæ otiosum ferunt, epi-
grammata nostra: quæ ut cum plu-
ribus communicarem, prima arbi-
trantium approbatio effecit. Habes
præjudicium, quod illustis Domi-
ne seq̄varis. Nam ex prospero alio-
rum judicatu ea mihi spes oritur, tibi
non injucundum fore, quod aliis
gratum accidisse gaudeo. Nunc tui
muneris est, rescribere, meritòne
suò, an ex nostri amore placeant.
Nec vitio mihi dabitur aut culpæ,
quod tantum mihi de acri certoq̄, ju-
dicio tuo promitto, cum tam facile
primis applausibus fidem habuerim.

XXXIX.

Materiem præsentis scriptioni di-
ligentia superior præripuit. U-

na se nunc offert dicendæ salutis
communitas. Religio postulat, ut
eam tibi votiva precatione assidue,
verbis solennibus nunc breviter ex-
pediam. Et sanè si quid significandū
esset, quod scitu opus foret, profi-
ciscientis diligent æ rectius commit-
teretur. Tunc enim accuratior scri-
ptura locum invenit, cum memoria
aut dexteritas commeantium nego-
tius exponendis non sufficit. Nunc
si quid est, quod de salute nostra
nostrisq̄; studiis scire Illustis Do-
mine expetis, sine ope styli nostri ex
copiosa expositione servuli tui satis
superq̄; cognosces. Vale!

XL.

Jucunditas literarum tuarum ma-
gna me voluptate & gaudio per-
fundit. Inest enim in illis mira quæ-
dam eruditi sermonis sruvitas &
scriptorum nostrorum non tam me-
rita, quàm benigna commendatio.
Injecisti mihi scrupulum & dubita-
tio-

tionem, quidnam potius in te amem
dulcedinem sermonis, an affectum
animi? Quippe ita summa copia &
facultate dicendi præstas, ut pericu-
lum existimationis adeam, si per-
terastecum frequenter colloquar.
Ita nostra collaudas & liberaliter
effers, ut non possim non libenter
cupidè epistolæ tuæ rescribere. Sed
cohibeo me, ne plura de utroq; me-
rito tuo commemorem. Metu-
enim, ne facundiam tuam videar
rò & nequicquam imitari, affectum
autem animi nequaquam pari humi-
litate exprimere. Deinde, cum
ipse nihil ficto sermone aut vultu
cas aut facias, iniquus sim, si innata
tibi virtutes tanquam simulatas asse-
tasq; prædicem. Hoc tamen tibi
non fucato stylo significo, neminem
omnium esse, quem magis cupiam
apertè laudare, amplecti, diligere
Vale! XLI.

Siccine comparata est vitæ nat-

ræq; nostræ ratio, ut nullum gaudi-
um homini perenne ac proprium
sit? Ideò certè à molestiis urbanis
rur concesseratis, ut festis his die-
bus ad omnem animi remissionem
descenderetis. Quæ calamitas, quod
infortunium turbavit speratam læ-
titiâ? Ergò valetudo Celsissimæ
Matris ingruente subito febri in-
morbum, salus augescente malo in-
discrimen venit? Pingo cogitatio-
ne imaginem sollicitudinis vestræ.
Dii boni, quæ curæ diurnæ, qui no-
cturni metus vos angebant atq; soli-
citos habebant! Sed ea lege nati &
in lucem editi sumus, ut adversam
fortunam persæpè, prosperam ita
rarò experiamur, ut, siquando, se-
cundo vitæ sine ulla offensione cur-
su, fluat, portentis atq; prodigiis an-
numeretur. Fugiunt gaudia, omni-
busq; in rebus maximæ voluptati
mœror finitimus est. Sed hac de
re commodiùs à quibusdam opti-
mis

mis Viris in medio fori sedentibus
quàm ab ullis Philosophis ulla
schola disputatur. Nos animum
cogitationem à tristibus ad lætiora
convertemus: quoniam incolumita-
tem optimæ Matris in tuto colloca-
vit seculi felicitas. Etiam atq; etiam
Vale!

XLII.

Est ita naturâ comparatum, ut, quæ
quævis minus est ad dicendum idonea
neus, eò magis odiosus in dicendo
ac loquax existat. Plerumq; enim
affectamus copiam differendi, ut
consilio & ratione deficiamus.
locupletes nos verbis facimus; sed
ipsa nihil habemus, præter im-
dentiam. Libet communi hoc ex-
dio uti, quod nihilominus in me
venit, quàm in quemvis alium, sed
æquè magna scribendi cupido
cum desit oratio. Nimirum potest
hanc scriptiorem compendii facere
re, & unis literis, duobus ad te un-

commeatu proficiscentibus testimo-
nium probitatis impartire. Sed plus
valuit apud me officii ratio, quæ ju-
bebat ambobus benigne facere,
quàm vitiosi sermonis cautio. Tu
incorruptis, quàm nos, judicabis,
utrum loquacitatis infamiam, an lau-
dem sedulitatis operosa scriptiõne
meruerim. Vale!

XLIII.

Reprehendis, quod ipse gestorum
meorum autor, testis, laudator
existam. Merito & jure hoc Pa-
trone facis. Omnis enim ostentator
non vacat suspitione vanitatis: quia,
sicquid etiam ex vero prædicat, ta-
men mendaciunculis aspergit. Nisi
amen ego ita me tibi nunc excusare
possum, ut omnem culpam in te
possum transferam. Tuis quippe lau-
dibus, quibus nugæ meas præter me-
tum ornas, me adduxisti, ut disci-
pen vanæ ostentationis improvidus
inscultator adirem. Ceteroquæ ma-
jor

jor utiq; curatio modestiæ mihi esse
 quam inutilis gloriolæ. Nunc posse
 quam indultu tuo præter consuetu-
 dinem nostram fecimus, id Dominum
 cogitabis, trahi bonos omnes laudem
 studio, atq; egregiam quamq; in de-
 lem cum primis gloriâ duci. Vale

XLIV.

A Nne hoc dices? Quippe veni
 in mentem mihi, quid dicere
 possis, quamvis nullus dixeris. Veni
 letudo in causa fuit, quò minus scri-
 berem. Sed certum scio, te jam con-
 valuisse & à veteri morbo, & à ma-
 vis tentationibus. At tantis occu-
 pationibus distineor, ut ad te arbi-
 tratu meo scribendi facultas non
 detur. Non audio; Nam habet
 em interdum otiosum omnis occu-
 patio. Reliquum est, ut oblivio
 nostri toto hoc mense literam non
 lam miseris: quod vel tuâ causâ
 lem. Nam officia humanitatis
 tempus intermittas, excusationes

cessitatis defendis; si planè omittas,
 istam doctrinam, illas virtutes negli-
 gentiæ vix tolerabili maculâ asper-
 gis. Quid horum excusare malis,
 tute videris. Illud enim nec pudor
 tuus finet, ut causam planè deferas.
 Nam cum grave est, in amicitia verè
 accusari: tum etiam si falsò accuse-
 ris, non est negligendum. Quicquid
 erit, tu fac valeas, meq; mutuò di-
 ligas.

XLV.

P Ræter meritum nostrum est, si
 nos negligentia porro accusas,
 quibus religiosi officii summa sem-
 per curatio fuit. Sic enim mea per-
 petuò est ratio & sic animum indu-
 co meum, nos cum multis in rebus
 aliis negligentia plecti, tum maxi-
 mè in amicis deligendis & colendis.
 Si igitur ob multas meas gravesq;ve
 occupationes accidat, ut tuis non eâ
 statim hora, quâ redduntur, respon-
 deam; Non ista satis vehemens caus-

sa est, cur me esse negligentiorē
 solito aut quicquam in amore remi-
 sisse existimes. Nam ut literis fre-
 quentioribus major fortasse affectio
 simulatur; amicitiae tamen sinceritas
 animi magis puritatem, quam ser-
 monis inane testimonium postulat.
 Tum verò ego, qui sum pauperis in-
 genii mihi conscius, malo jus amicitiae
 frequentibus officiis tueri, quam
 turbam voluminū infantiae meae teste
 colligere. Vale! XLVI.

Lætitiam cepi, quantum animo
 perire maximam possum, cum in-
 tellexi, te pristinum vigorem & fir-
 mam corporis constitutionem feliciter
 recuperasse. Quid enim melius
 te incolumi esse potest tum aspectu
 jucundius, tum usu lætius? Humanitatis
 & consuetudinis tuæ est, tui studi-
 diosos & amantes mutuò diligere
 amoremque amicitiae testari crebrius
 te literarum tuarum. Hoc studium
 hanc consuetudinem, incommo-

vale

valetudine dies complurimos inter-
 ruptam, nunc cumulatius reddes.
 Non fero stylum bona verba parcé-
 timideque exhibentem. Brevitas laus
 est in aliqua parte eloquentiæ: in
 officiis humanitatis laudem non ha-
 bet. Odi literas concisas & inter-
 dum non satis apertas, cum brevitatem,
 tum acumine nimio. Illas amos-
 quæ, ambitu verborum optimorum
 longo & producto, rem totam ante
 oculos ponunt, ut si quis velit, possit
 eam tanquam in speculo intueri.
 Laconum is mos erat, numero dicere,
 omniaque compendio breviter
 summatisque transigere; Sed
 ego te Atticæ elegantiae tuæ quædam
 quasi lege convenio. Possem
 plura; Sed brevitate tua remun-
 randus es: Pariter vereor, ne tibi in-
 digentiam sermonis multiloquio
 meo exprobari existimes. Igitur
 consuetudini meæ modum statuo,
 dum ad tuam me accommodo. Vale.

C 4

XLVII.

Hanc epistolam voluntariò scrip-
tam compendiosè: quandoquidem
ab illo tibi reddenda est, qui paulò
plus spei in auxilio iudicii tui, quàm
in præsidio commendationis nostræ
collocat. Itaque; quanquam festinat
hæc scriptio exiguam significatio-
nem meæ erga te observantiæ ha-
beat, tamen tibi non injucundum
fore confido. Is enim, qui ad te pro-
ficiscitur, illam sibi officiosam pro-
vinciam depoposcit, ut tibi verbis
meis manus exoscularetur, & verbis
pariter pro ambobus faceret. Ego
illo igitur, & quæ de me scire expe-
ctas, & quæ ipsius misera multum quæ-
runtur, jactata fortuna flagitat, cognosces.
Vale! XLIIII.

Satin rectè vales, quod dies mul-
tos nullas literas misisti, annon sa-
tis rectè vales? Aufer mihi dubita-
tionem istam, quæ non animum me-
um magis sollicitum habet, quàm
tuum.

tuorum omnium. Sed opportuni-
tatem ad mittendum raram vel nul-
lam habes? Omnino nullum sum-
ptum mittendis tabellariis facito;
nullum inquam, ne teruncium qui-
dem. Mitte tamen aliquem sine
sumptu tuo, vel ob hanc solam causam,
ut mihi nunciet, quod scire
aveo, immò quod valdè & animò su-
spensò scire aveo. Ego venienti epho-
dion, proficiscenti necessarium viæ
impendium dabo. Ego mittere jussi,
ego de meo omnia dependam. Mo-
do cognoscam, te rectè valere &
vivere. Hic tui omnes valent. Ego
porrò sicut soleo, vel aliquantò eti-
am deterius, quàm soleo. Qui enim
rectè valeat, qui animò anxio & so-
licitò omnia timet, omnia suspicatur,
quæ humanitus accidere homini
amicissimo possunt. Proinde si me
quòque vis rectè valere, rectissime
apud te omnia esse, nuncia.

STudiò responsum distuli, quòd
 svavitati pariter ac venustati literarum
 tuarum debeo. Quippe tardioris ingenii mihi conscius cum tuis
 similibus timide & quodammodo
 diffidenter sermonem confero. Sed
 religiosi officii ratio intercessit in
 memori meo. Videbam, vitiò dicto
 nis tibi displicere satius esse, quam
 nimio metu nimiaque diffidentia.
 Nunc illud te primùm oro, ut bonam
 consulas; quicquid missa pagina ex
 hibet: dum scias, eam per officiosam
 & peramanter à me scriptam esse.
 Deinde hoc etiam mihi rogandum est
 ut te aliquando submittas ad genus
 nostrum scribendi angustum & humil
 mile. Nam si altiore semper animo
 es, si nihil abjectum, nihil humiliter
 cogitas, adigis me profectò, ut per
 sum familiaris officii aut propter in
 becillitatem animi deponam, aut de
 speratione imitationis planè abjiciam.

REm minimè dubiam argumen
 tando plerumque dubiam faci
 mus. Sic ego diu deliberavi & am
 biguum habui, an, dum in spem ma
 ximam, & quemadmodum confido,
 verissimam adducti sumus, te jam ad
 ventare & ad amplexus nostros pro
 pius adesse, literas tibi meas obviam
 mitterem. Verebar enim, ne no
 vum & inopinatum indicium rerum,
 quæ hic aguntur, impediret prope
 rationem tuam aut certè tardaret.
 Verum hoc dubium refutavit alia &
 diversa argumentatio, quæ per
 suasit, futurum, ut, literis nostris invita
 tus, ventis remisq; ad nos omni festi
 natione properares. Igitur ne
 quid impediatur currentem, ambitu
 nunc utar verborum contracto &
 brevi, dabog; operam, quam maxi
 mè possum, ut verbum hic nullum
 redundet, sed ut tantum ferè verbo
 rum sit, quantum dicenda salutis fa
 tis

is est. Spero enim fore, ut sermonis nostri levi gustu desiderium nostrum apud te non tam minuatur, quam augetur. Vale!

LI.

SUrbano vestro libenter uti soleo, siue quid mecum ipse cogito, siue aliquid scribo aut lego. Quam obrem cum constituissem, proximos hos dies ibidem vobiscum stare, mirari Domine potes, quid causæ fuerit, cur consilium mutarim. Sed desines mirari, si scias, me casu magis, quam consilio in urbem mansisse. Sic nempe optimè cogitata fortuna plerumque turbat ventis, fatigat. Non igitur absentia mea reversioni vestræ aliquam moram aut tarditatem afferre debet: Quin immo vos hortor, ut, quemadmodum egregia animi alacritate hinc discessistis, ita summa nunc voluntate revertamini. Cupio enim quamprimum hic frui iucunditate præsentium vestrorum.

vestræ, quandoquidem fors eam mihi rure, invidit. Vale!

LII.

Nunc demum voti mei damnatum gaudeo. Nam hoc quidem à te semper expetivi, hoc optavi, hoc precatus sum, ut tanquam fluctu eloquii præsentem, sic frequentia literarum tuarum me absente in Domine obrueres. Nunc igitur, quoniam expedita & prompta responsione partes amantis explevisti, restat, ut tibi sermonem non inopem, aut potius, ceu terra fertilis, collati sermonis quandam quasi usuram reddam. Quamquam hoc de me meisque facultatibus tibi promittere facilius possum, quam præstare. Ita nempe tibi ad me ornandum copia semper datur, mihi ad te remunerandum nihil suppetit præter voluntatem. Quam obrem cum nihil nunc ad manum sit, quo benignitatem tuam aliqua saltem ex parte remuner-

munerari queam : facilem te mihi dabis, & animum tantisper meum, aut, si mavis, totum me, quantum sum, in solutionem accipies : In pignus verò futuri conatus mei, tenue hoc motæ mentis opusculum, hoc est epigramma versiculis alternis longiusculis, quò speciem catelli formosissimi exponere tentavimus. An factis expresserim, tute, si legeris, iudicabis. Quod ut velis, te vehementer etiam atque etiam rogo, mihi amabilissime Comes.

Leuculus Cupido.

Ille ego, qui dulcis meritabar nomen
n. oris,

Hæc gero non fictus lineamenta Leo.
Est frons densa comis, vaga cruscula, vellera
ra lane

Lactea, villosis colla superba iubis.
Hinc gemini natibus, decus inviolabilis
florci :

Par tremule caudæ, par pedibusque decus

Cetera quippe cutis, variis interlita punctis,

Pulchrior abrafo creditur esse pilo,
Hi tibi si placeant externi corporis artus ;
Ingeniò possum gratior esse meò.

Scilicet ore minax, morsuque paratior ipso,
Me didici blandis insinuare modis.

Noctis ad excubias nulli succumbere somno
Syvetus, Hori thalamum servo caputque
mei.

Sum Domino comes usque meo, sum proximus illi,

Sive domi sumat prandia, sive foris.
Talis ego cordi tibi porrò Leuculus ut sim,

Nomine te moneat sæpe Cupido meo.

LIII.

Tandem aliquando dies isti, quos Christo recens nato festos esse religio iussit, vobis incolumibus abierunt. Nunc vos societate communium laborum, ad quos ex intervallo alacriores revertimur, impertio. Etsi scio, ne illo quidem tempore, quo ad omnem animi remissionem
lu-

ludumq; descendebamus, eos à te planè intermissos esse. Sed utcumq; ista se habent, præteriti temporis jacturam, si quæ est, tuâ illustri Domine diligentia & assiduitate mecum libenter pensabis. Homines enim illustri ingenio & industria, quò plus laxamenti & otii sumunt, eò vehementiores mox impetus edunt. Quod si tu quoq; feceris, erit mihi majorem in modum gratum. Vale.

LIV.

Lipstorfi præclaram eruditionem atq; doctrinam docti omnes tibi voce atq; consensu approbant: meo rogant, ut ejus dignitatem & amplitudinem tuo amori fideiq; commendem. Est prudentiæ tuæ, providere, ne quis falsa opinione & errore hominum tibi commendatior existat: humanitatis & mansuetudinis est, iis quoq; delectari, quæ pluribus probantur. Itaq; si res illa multam deliberationem habet, quæ ob-

stat

stare precantium votis queat; te etiam atq; etiam oro, ut Lipstorfium & suò meritò & mea commendatione & intercessione multorum commendatissimum habeas. Hoc cum mihi & multis aliis gratissimum facies, tum Virum elegantissimum eundemq; gratissimum eo tibi beneficio in perpetuum devincies. Vale!

LV.

In fine vertentis anni sumus. Non patiar, ut novis te prius, quam vota mea adeant: quorum seriem ut pluribus tibi indicem, nec res postulat, nec tu aliquid tale à me expectas. Nam si amicitia nihil est aliud, quam omnium divinarum humanarumq; rerum, cum benevolentia, summa consensus; nihil tu profectò hic neq; meam, neq; alterius orationem desiderabis. Illa enim tibi non modò confirmabit, sed etiam persuadebit, quæ tibi à Diis immortalibus optavi, esse ejusmodi, quæ me-

mecum ipse unà votis omnibus expectis, optas, desideras. Si quid prætereà hoc tempore in opibus fortunisq; meis omnib; est, quod tibi gratum esse possit; id jam non meum sed tuum esse scito. Restat, ut rem tuam illustris Domine audacter ac liberè vindices; Egoq; tibi possessorne ejus non modò non repugnantem sed etiam libenter cedam. Vale.

LVI.

Commercium literarum, quod mihi prolixè polliceris, uti honorificum mihi, ita longè gratissimum est. Vellem autem æquè dignitate argumenti, ac scribendi propensione tecum certare posse. Nam tibi quæ frequentes istæ disputationes, certationumq; plenæ materiam dignam facultate & copia tua suppeditent, dubitare non possum; Me verò calamo malignior rerum & ferè non nisi externarum sese facultate subijcit; Quæ res minùs nos tangunt.

vel recreant, & aliunde ad vos crebro deferuntur. Nunc in primis, ut verum fatear, quod scribam, non habeo. Pluribus enim diebus intra domesticos parietes seqvior valetudo & usus medicamentorum me tenuit: ut aurium operam venandis rebus novis navare non potuerim. Itaq; laudem brevitatis nunc libenter amplector. Aliàs prolixior ero. Tu valebis & me amabis. vale!

LVII.

Du est, cum ego diem ferè nullum prætermisi, quin literarum aliquid a te mitterem. Quid me facturum censes, si pari te studio erga me eademq; voluntate esse, intelligam. Interim meæ me consuetudinis nequaquam tædet minimeq; pœnitet, et si vicissitudinem studiorum adhuc dissimulas. Nam quæ in consuetudinem veniunt, ea gratuito etiam & non gravatè præstantur. Tum verò tantum plerumq; humanitatis tuis

tuis inest literis, ut diuturni etiam si
lentii veniam unâ solâ scriptione me-
rearis. Effice te rogo, ut & laus
humanitatis ista tibi perennis ac
propria sit, & expectationem dese-
derii nostri impetratio prompta ab-
solvat. Vale!

LIIIX.

ETiamnum libet vivere, postquam
honor suus artibus, præmia vir-
tuti tribuuntur. Habet hoc felicitas
seculi nostri. Nemo enim domi mi-
litiæq; cognitus laborum periculo-
rumq; suorum mercede caret. Ita-
dum meriti dignis præmiis decoran-
tur, eandem viam ingredientibus
amplissima spes ostenditur. Gaudeo
igitur vehementerq; lætor tum alio-
rum causâ, quibus honesta industria
pulcherrimam mercedem paravit
tum multò etiam magis illustrissimam
Domini de Pomponæ gratiâ, quæ
ob singulares ejus præstantissimas
virtutes aula nostra unicè amat cha-

rumq;

rumq; habet. Non est nostrarum
virium, de præstanti ejus eruditio-
ne, singulari prudentia, longoq; re-
rum maximarum usu dignè dicere.
Illud tacere non debeo, virtutis ejus
lumen, quod adhuc paucis, id est,
uni plerumq; populo elucebat, nunc
editissimo in loco positum, radios
suos toto orbe terrarum longè la-
teq; diffundere. Quantò hæc Eu-
ropæ universæ usui erunt! quantam
Regi famam decusque conficient!
Tot sanè causæ tum publicæ, tum
privatæ me adigerunt, ut his præxi-
mis diebus, cum nihil aliud habe-
rem, quod potius agerem, vericu-
los aliquos in gratiam ejus scribe-
rem: Quos ideo ad te mitto, ut eos
accuratissimâ tuâ limâ perpolias atq;
perficias. Vale illustris Domine, &
mihi ignosce, quòd ad te scribo tam
multa toties.

Ad

Ad Regem Christianissimum.

Si cui vis vasti mandare negotia Regni,
Et tot curarum pondera, quæ re-
rum:

*Qui varios hominum mores cognovit et al-
tes,*

*Qui quævis calamo præstat et ore vi-
rum.*

Dices: quis tantis spectatur doribus unum

Cui soli ante alios is sit habendus honor

Ille tuæ interpres mentis Pomponius, ille

Omnibus ingenii dexteritate prior.

Is docto rigidum moderetur Apolline Ma-
tem!

Is tua, Rex, calamò temperet arma sua

Nam licet ipse tuis attingas sidera factis,

Dum rotæ fuso victor ab hoste reddis

Crede mihi, laudem partam victricibus al-
mis

Vix retines, calami ni tuearis ope.

Vt, Rex, semper agas felicibus inclutus al-
mis,

Hoc victor calamus doctaq; lingua al-
bunt.

SVades, hortaris, instas, ut oratio-
nes, si quas accuratè diligenterq;
scripserim, eas colligam edamq;ue.
Facis amicè, cum tantum nobis tri-
buis, ut nos credas dignum aliquid
hominum oculis efficere atq; edere
posse. Quanquam magis hic frænis,
quàm calcaribus egemus. Ipsi enim
naturâ nostrâ ad cupiditatem hanc
laudis & famæ præter æquum & bo-
num ardescimus. Unde fit, ut nihil
elaboratum judiciò, nihil perfectum
industriâ ex officina nostra exeat:
Contra pleraq; impolita, &, quæ
pueris nobis inchoata ac rudia exci-
derunt, spectentur. Vide igitur mi-
Comes, ne plus ineptiis nostris tri-
buas, quàm res & veritas ipsa con-
cedat. Sed vide bonè ego quoque
hiem illum, quò te pari studio hor-
er, moneam, cogam, ut, quæ inge-
niò & industriâ tuâ perfectè absoluta
sunt, impartias aliis communicesq;
cum

cum pluribus? Erit illud profectò tempus & illucescet aliquando die ille, cum fortunatò & in ævum pro pagatò Caroli nostri imperiò, istud optimarum artium studium, illam liberalem & dignam homine illustre à te perceptam doctrinam, quam adhuc privatim possides, publice ore & oculis omnium ponas. Tu admonitionum stimulos non expectabo: Sponte edam, sponte vulgabo, non aridam & exilem orationem, sed tota volumina de meritis & laudibus Comitum mei Gustavi de la Gardie. Vale!

LX.

PLerumq; imitatione decipiuntur brevitas, ut, dum nos breves esse putamus, longissimi simus. Non igitur sine causa vereor, ne in epigrammate, quod cum hac epistola mitto, prolixior fuerim, quam huius generis scriptorum propria & que legitima ratio patitur. Sed hoc

erigit & confirmat, quòd filium orationis tale est, quod crebrò initium, crebrò finem facere videtur. Adeò uniuscujusq; versiculi novum velut argumentum novaq; velut scribendi causa fuit. Potes igitur ubicunq; legendi initium, ubicunq; finem feris, singula tanquam apta inter se & coherentia; & singula rursus tanquam disjuncta & separata legere. Ubiq; sequenti sermone accommodatè concludi, ubiq; præterito convenienter incipi, comperies. Atq; ideo me in toto opere non nimis brevem, in singulis ejus partibus minime longum fuisse, non invitus fateberis. Vale!

LXI.

Odiem anni latissimum! Non possum, quin sic exclamem, cum recordor hesterni gaudii, quod ex recitatione tua una cum aliis percepi. DEum immortalem! quam

D

orna-

ornatè, id est, quàm distinctè, quàm
 copiosè, quàm abundanter & rebus
 & verbis dicebas! quàm aptè in ipsa
 elocutione quendam quasi nume-
 rum versumq; conficiebas? Oratio
 ipsa puris & electis verbis composi-
 ta, & cum lenitate quadam æquali-
 liter profluens, non solum auditorum
 valdè delectabat, sed etiam sine fru-
 ctu delectabat. Ego meæ fru-
 ctum delectationis non tam re felici-
 ter à te gesta, quàm auscultantium
 oculis sermonibusq; metiebar. Om-
 nes enim tibi ut oratori disertus,
 docto compositor copiosissimæ or-
 natissimæq; orationis plaudebant.
 Mihi ut doctore, ut rectori elegan-
 tissimi ingenii gratulabantur,
 qui utrumq; pariter probabant,
 ad recta tendentibus quasi ex-
 plar quoddam proponebant; me
 ingnum judicabant, qui multos alios
 docerem, complures alios regere
 Oigitur diem tum publicè, cum pri-
 vati

vati lætissimura! Quæ enim res
 Reipublicæ jucundior aut gratior
 esse potest, quàm juvenes illustri lo-
 co genitos laudem & gloriam ex ar-
 tium studiis liberalissimis doctrinis
 quæ petere? Quid porro mihi lætius
 aut optatius, quàm tuis tuiq; simili-
 um rudimentis adfuisse? Quod la-
 boris mei grande decus ut mihi per-
 petuum sit, DEum oro: Eundemq;
 te audiente invoco, ut, qui ductu no-
 stro industriam tuam imitabuntur,
 tibi quidem simillimi, me ipso longè
 meliores evadant. Vale!

LXII.

Supervacanea est commendatio
 aut parvum usum habet in eo,
 quem incorrupta vitæ integritas at-
 que innocentia apud omnes in laude
 & gratia ponit. Nostro igitur sus-
 fragio præsentium lator minimè in-
 digebat. Suo enim merito aditu in
 tibi ad amicitiam tuam patefacere
 poterat. Sed non par erat, eum
 sine

sine literis meis proficisci: ne tu
crederes humanitati potius defuisse
quàm ea declinasse, quæ supervacu
videbantur. Tu tamen, quò nempe
omnium est commodior, comior, si
cilior ad omnem rationem humani
tatis, more tuo efficies, ut vir am
cissimus intelligat, favori, quò illud
complecteris, aliquem nostrâ etiam
causâ cumulum accessisse. Vale.

LXIII.

Magna me voluptate affecit
gina, quam post annum fere
lentium misisti. Nam dolorem
diuturna intermissione literarum
perceptum gratia absterfit recep
scripturæ. Me autem mandatis
quasi mercede aliqua, ad omne
nus officii impulisti. Item post
si quid erit, quod in rem tuam sit
cies, ut sciam. Nam diligenti
mandatorum tuorum te, quoque
spero, ad diligentiam rerum
rum excitabo. Vale!

LXIV.

Inter cætera negotia, quæ no
strum sibi studium curamque vindi
cant, aliquid etiam operæ desiderii
amicorum impertiendum. Atque
haud scio, an commoda amicorum
majori etiam studio procuranda sint,
quàm nostra: quia in hoc tam exi
guo vitæ curriculo possessio bono
rum valde brevis, laus & gloria fi
delis amicitiae sempiterna est. Ma
neat igitur inter nos familiarium
officiorum hæc vicissitudo, ut officia,
olim à te inchoata, à me longo inter
vallo repetita atque relata, posthac ab
utroque studiosius & crebrius usur
pentur, hoc est ut tu quidem sæ
pissime literas mihi de omnibus re
bus mittas, & ego industriam tuam
sermonis & amoris vicissitudine sta
tim munerem. Vale!

LXV.

Facilis à te existimari debeo, qui
nihil tecum exoptulem, quod
sum-

summo in Universitate ista magistratu auctus, nullum mihi dignitatis atque amplitudinis tuæ indicium fecisti. Sed nolo gratulationem meam acerbitate accusationis imbuere: Ne animum tuum, quem mihi benevolum & attentum reddere studeo, asperitate contentionis à sermone salutari avertam. Quare, remotis sive omninò missis querimoniis, fasces & imperium in florenti Nobilitatis & juventutis nostræ tibi ex animo gratulor: Deumque oro, ut te aliquando magistratu abeunte summa laus bene & laudabiliter gratia Reipublicæ, & simul gratia summa prosequatur. De cæteris, motore tu quidem non egēs: Nec tamen feres molestè, abundantiam consilio & prudentiæ tuæ nostram non hortationem, sed quasi leniorem commonitionem, pro cumulo, concedere. Memineris igitur, (nec verbo Ciceroniano libenter uti m

te gerere personam Universitatis, debereque ejus dignitatem & decus sustinere, servare leges & jura, eaque fidei tuæ commissa meminisse. Quod uti proprium munus magistratus tui est, ita te, idem studiosè accurateque curantem, commemoratione ista laudavi magis, quam commonui. Restat, ut, ista in dignitate constitutus, nobis honorem alloquii tui non infrequentem habeas. Nam silentiò compressa benevolentia non procul ab odio distat. Ideoque literas ipsas naturalis & insita in mentibus hominum ratio invenit vel auxit, ut nunquam muta esset humana societas. Illæ enim, si absis usquam aut cesses, lingvæ omni officio funguntur. Sed sufficere hæc præsentia possunt epistolæ, quam duo diversi motus animi, querimonia & gratulatio, imperaverunt. Tuæ providentiæ erit, facultatem nobis deinceps eam ad scribendum dare, quâ

gaudium ob felicitatem tuam, non
etiam dolorem nostrum ob negle-
ctum officium testemur. Bene
felicitè vale!

LXVI.

Siccine ad me, tanquam ad Oedipum aliquem, per ænigmata. I-
sanè nominis sustinere potest episto-
la tua, numeris Platonis paulò ob-
scurior. Nam ipse pugnas tecum
& non modo non coherentia inter
se dicis, sed maximè etiam disjuncta
& contraria. Exime mihi hunc ser-
pulum & obscuritates tuas inter pre-
tando explana. Scribis te planè
teratum & à literis alienum, omne
hactenus curam operamq; postu-
in venationibus, aliisq; in ludicris
q;ib; ætas ista ad seria exerceri so-
vit. Hæc tam ornate politeq; se-
bis, ut eadè operâ probes, te nec il-
teratum esse, nec ullis in rebus ali-
quam studiis & literis versari. Non
igitur possum adduci, ut credam, te

eruditas, tam elegantes, tamq; venu-
stas literas ex sylvis aut palæstra pro-
diisse: Nisi tamen tu præ cæteris
beatus es, cui eruditio perfecta per
otium ludumq; obtingat. Vale!

LXVII.

Maximè opere à te peto & quaeso,
ne meam erga te observantiam
& studium ex magnitudine epistolæ
spectes, numeroq; verborum me-
tariis. Paucis salus nunciatur, quæ à
DEO votis innumeris exposcitur.
Quam rationem moderationemq;
pii officii si minus imitatione conse-
qui possumus, voluntate certè proxi-
mè accedimus. Et quidem vide,
quam te amem. Qui antehac ver-
bosâ plerumq; epistolâ tecum egi,
me subito ad parsimoniam religio-
nis tuæ accommodo: hoc est, occu-
pationes tuas respiciens, debitum
meritæ venerationis pusillâ paginu-
lâ, tanquam parvo are, dissolvo.
Quales & quantas deinceps epistolas
tuas

tuas esse velis, ipse videris. Erunt
quæ de te tuisq; scribes, mihi semper
per longissimam, si lætissimam. Vale!

LXIIII.

Succincta brevitate agendum,
digna memoratu desunt. Nam
nullum operæ pretium est, operæ
scriptioe nihil scribere: Nec levis
esse potest studium scribendi in summa
inopia rerum, nec docto nec
docto in summa copia non gravari.
Sume igitur has breves, & longum
silentium, si placet, pari brevitate
compensa. Sed nec facultas
longioris epistolæ deerit, si moderata
voluntas adsit. Vale!

LXIX.

EGO familiaritatem, in quam
recepisti, crebris officiis sancti
colo: Et si nostræ meritum indultum
relatione mutui cultus nondum
muneras. Nunquam enim efficiet
tuodiò tuò, ut ad par & æquale
dium me trahat vitiosa imitatio.

Quippe non, quid præsentis voluntati
tuæ, sed quid perpetuitati sanctio-
nis amicitia debeat, confidero. Et
quamvis officiorum meorum non in-
diligens ætimator sim; tamen quo-
vis etiam levi hostimento parilis cu-
ræ mitigor. Nam credo, studium
tuum necessitate sæpius, quam tædiò
cessare. Sed ne fastidium diutini
silentii, quamvis firmum & stabilem
& constantem cultorem, cogat de-
temptu sui metuere, non grava-
beris, succisivam interdum operam
curum me ab hac parte reddere.
Qui enim cognoscere possum, te li-
beris meis non offendi, si honorem
tuarum diutius negaveris. Vale!

LXX.

LONGIUS, quam proficiscens pu-
tabam, à vobis digredior. For-
asse veremini, ne diligentia meam
brepat debiti oblivio officii pro-
ter longinquitatem peregrinatio-
nis. Mihi vero, quocumq; proficiscar

charissimam cuiusq; cura comitabitur
Credite igitur &, jam confidite
meam circa vos diligentiam man-
ram, etiam si in solas terras abierit
Vale!

LXXI.

BENIGNITATEM tuam sapiens expe-
tus, documentum cepi, quomodo
amicum non affectu solum, sed etiam
liberalitate aliqua honorandi
Etsi quod habemus illustrius excen-
plum regalis munificentiae, quam
magni parentis tui? Erga me certe
liberalissimus munificentissimus
semper fuit. Ridebis, meam
spem atque conatum arrogantiae
num judicabis, si mendicitas nostrae
vestris erudita exemplis, aliquid
tra liberaliter benignèq; facere
taverit. Sed licet, rideas; Ego
nusculò, quod mitto, liberalitate
tuam imitari cupio, exprimere
item. Tuæ moderationis erit,
tenuissimam, par sileptorum

malium, prompta dignatione ad-
mittere: Ne fastidiosa recusatione
videaris meam nimis promptam in-
accipien dis tot tantisque beneficiis
tuis facilitatem arguere. Vale!

LXXII.

ET si quavis occasione tecum li-
benter per literas colloquor;
nunc tamen multò etiam libentius id
facio: primò quòd amicus commu-
nis profiscitur, quem non animo
solum & votis, sed literis, laudibus,
copiis meis prosequi, ad laudem &
decus meum pertinere arbitror. De-
inde quòd spero, literas meas plus
ponderis habituras, si ab illo red-
dantur, quem in primis diligis &
charum habes. Tu videris, utrum
horum me magis animare debuerit.
Mihì enim ex utroq; par honor quaeritur:
Sive me amico proficiscenti
gratificari debuisset, iudicas, sive te

amici causa plusculum literis meis tribuere, siue deniq; ita me diligis ut in utramque partem æquè mordearis, h. e. ut & amico officium meum & literis meis tuum favorem pari de causa convenire existimes. Vale!

LXXIII.

Audi rem lætam & gaudere. Si renissimus Rex pustulis illis quas in pueris exanthemata vocant medici, correptus, post dies pauculos feliciter sanavit. Repertum morbus discriminis movit, tantum convalescenti in posterum securitatis paravit. Quippe purgatus à multis & noxiis humoribus, quod diutius inclusi his pulcherrimi conturbant, quæ illi præstita sanitatem commodiorem. Gaudere

bisigitur vehementerq; cum multis aliis lætaberis, Regem feliciter ægrotasse, quem tanto suo bono audias consanuisse. Vale.

LXXIV.

Legistine aliquando libellum Eobani Hessi de vitanda ebrietate? si dudum, & credo dudum legisse: adeo te totum ad effigiem ejus fingis & accommodas; Ego cerè nuper admodum, quid dico, nuper? immo verò modo & planè paulò antè, quàm ista ad te exarabam. Poenitet me tarditatis meæ. Nam aureolus liber est, dignusq; quem primis statim annis legas, & postea religiosus, id est, sæpè relegendo, nunquam non mediteris: Ne scilicet potandi voluptas unquam te offendant imparaturus. Etenim quid tum omni ætati turpius, tum maximè juventuti foediùs una ebrietate? magna sanè vitiorum omnium nutrice: Cum subitas rixas morbosq; concitet, cum ex homi-

homine miti & facili feram & immittem faciat belluam. Quid aliis ueniat, nescio. Ego mihi insaniam inter sanos & quasi inter sobrios bacchari paulò plus potus video. Ad eò neq; lingua, neq; manus officium suum rectè atq; ordine exequi nostra facit. Nam quod Domina Regina actionum nostrarum rati in corde hominis sobrii abditum conclusum esse voluit, id in linguam temulenti liberum solutumque deas. De cætero nosti proverbium: *Ne vinolenti quidem hoc faciunt.* Tanto hoc vitium soleo stultis suis fugere, tantò ejus occasione libentius vitare. Scio, alios aliter hac de re sentire atque ego juvenis morosi atq; difficiles videntur, qui insidiosam hanc illecebram, humanitatis hilaritatisq; vultu obrepentem morosè, ut illi putant, nos censemus, ingenuò liberòq;

stidiò, respuimus. Sed ista arbitrantium judicia non ferimus molestè: Uti nec Eobanus quidem epigramma, quò poëta elegantissimus temulentiam contra libellum ejus per jocum ludumq; defendit. Hoc addere visum epistolæ celeriter definenti: quia aliud nunc nihil erat in promptu. Tu conclusiunculam jocosè ferocem lege & ride.

Legit ut ebrietas hujus maledicta libelli,

O quoties, dixit, talia manè tuli.

Scilicet insanum tunc est plerumq; cerebrum,

Et nimis sumptus triste dolore furit.

Hæc mihi qui sero sub vespere crimina dicat,
Credite, Germano rarus in orbe vir est.

LXXV.

OCuli altissimum in homine locum obtinent, ut tanquam è specula plurima circumspiciant, & simul quid rectum aut pravum sit, ac cito quodam sensu dijudicent. Hos

tu, si quid rectè atq; ordine factum videre cupis, rectius ad aliam omnem rem, quàm ad epigramma hoc nostrum adjicias. Otiolum, quod præter spem evenerat, illud à me quasi imprudente atq; invito expressit: familiaritas animos mihi addidit, ut id in conspectum tuum darem; audacia porrò & temeritas effecit, ut cum pluribus aliis communicarem. Hoc pacto ab oratione libera & nullis numeris adstricta ad ligatam, & à libertate ad impudentiam transco. Non deprecarer, ut mihi hanc perversitatem condones; nisi cras aut forsitan hodiè æquè perversè, non dicam, imprudenter facturus essem. Tua facilis suffragatio me ad hæc talia inducit. Non culpabis animum, quocunq; trahas, promptè sequacem. Simul hoc cogitabis, non ejusdem ingenii esse, pariter laudem accuratæ descriptionis & gratiam promptæ obtemperationis mereri.

Nec

Nec me propterea magis oderis. Nam si tibi non videbor optimus poëta esse, servus certè non pessimus esse censebor. Fac periculum, veracem esse cognosces. Vale!

LXXVI.

Convalui. Illud enim nuntiari in principio epistolæ debet, quod lecturus & valdè scire avert & debet. Tu autem hoc ex literis meis cognoscere in primis cupis & profectò etiam debes: Cum tibi uni bene valentis omnis opera & studium omne destinatum & quasi consecratum sit. Simul tibi vires & corpus, quæ duo proxima ægrotatione amiseras, reddiisse, & paulò antè gavifus sum, & etiamnum lætor. Nam hoc mihi gaudiù indicio recuperatæ valetudinis proximè movisti. Sed illud quoq; in causis lætandi numero, quod te nostri memorem & cupidum eadem scriptione declarasti. Quod silentio præterire non debeo: ut hac testi-

testificatione grati animi ad continuationem mutue affectionis inviteris, Vale!

LXXVII.

Tanta vis æquitatis tuæ est, ut non nisi pia & iusta cupias. Quod eò præfatus sum, ut me approbasse intelligas, quæ de itinere Ubsaliensium rogasti. Cum autem tuâ causâ omnia cupiam, non necesse fuit, ut mihi tui rationem consilii causamque pluribus verbis probares. Doceri enim à te hac de re debui, non rationibus & argumentis ad id conquiritis in sententiam tuam pertrahere. Quid, quod me Ubsaliæ videnda æquè magna cupiditas stimulat, quàm te illius revisendæ? Natura enim inest mentibus nostris insatiabile quoddam desiderium rei ignotæ cognoscendæ. Et celebritas ipsius loci, quo gratiorem mihi cognitionem rerum memorabilium datum est, eò majorem cognosceudi cupi-

ditatem animo meo ingenerat. Vale!

LXXVIII.

Rosenbergium non minus amas, quàm ego: penè dixi, quàm me. Quæ tua officia fuerunt, ei sponte tribuisti. Restat, ut nunc suppleas eâ, quæ de meo præstare non possum: Ut ego quoque in partem beneficii tui venisse videar. Æquitatem desiderii ejus ab ipso cognosces: quàm ego pluribus exponere ideo non debeo, quod copiosa & fatuosa Rosenbergii oratio paulò aptior est ad persuadendum, quàm vicarii sermonis nostri inopia & jejunitas, vale!

LXXIX.

Longas meas plerumque epistolas ad te mitto: tu longiores expectis. Non displicet prosperi status judicii tui. Laudare enim videris, quod libenter sumis. Sed malim tibi laude brevitatis placere. Non audio libenter notationem Censoriam:

riam; aptasti longum tu quoq; syrna tibi. Odimus vestimentum tragicum, quod vel ponè longo tractu humum verrit, vel antè ultra talos demissum pedibus teritur. Impedit magis parvum corpus productio ista, quàm juvat. Tum verò non video, qui satis tibi facere queat cassa rebus & tantum inanis vocis sono animata oratio. Quòd si aliquid seculi auribus, si auctoritati, si exemplo tuò dandum est, scribe tu prius longam epistolam, quam respondendo longissimam reddam. Quanquam tibi quidem qui hoc pollicear? Fors ista viderit: quæ arduis in rebus sæpius, quàm ratio potest. Tu, si remeraria pollicitatio displicet, obliviscere: si placet, memento, me copiam verborum tibi promississe, non etiam elegantiam. Vale!

LXXX.

Nulla quidem res est, quæ tam leniat sedetque perturbationem animi

animi, quam sedula in omni fortuna cogitatio, nos ea conditione natos esse, ut nihil, quod homini accidere possit, recusare debeamus. Sed ægri tudo, qua afflictus nunc totus jaces: tanta est, ut imperio rationis non facile obtemperet. Adeò per intimos animi tui sensus pervasit gravis & vehemens cogitatio præsentis mali: Et quidem talis cogitatio mali, in quo rectum esse videatur, angi. Itaq; nunc quidem in hoc tam gravi vulnere sine remedio, sine allevamento manes: quod sola longinquitas temporis suppeditabit. Interè dum dies ille illucescat, frustra sunt verba rationesq; solantium: Neq; sapientiæ consultis audientiam facit obstinatio ex crebritate lectus voluntas. Quippe non primum nunc fratrem lugens. Post tot mortes germani sanguinis quis te non putet occalluisse, h. e. longa consuetudine didicisse, fatum ultimi ex charissis.

rissimis fratribus patienter, placidè sedatè ferre? Sed tu, quò magis afflictum te debilitatumq; diurnâ patientiâ, fatale malum offendit, hoc amplius doles. Nam simul illa vulnera nunc recrudescunt, quibus catricem longitudo diei ohduxerat. Ut jam non hunc tantum fratrem, sed & illum & istum, & quem non omnium? ex casu vario & quâ multiformi, moerore uniusmodi lugeas. Est ita profectò: Luctum te naturalis ratio exigit; sed tamen vide, quatenus. Nam etsi suus cuiusmodi modus est, tamen in hoc genere incommensurabilem quod est, offendit vehementius, quàm id, quod videtur parum. Ut neutram in partem pecces, sic probe, & simul moestissimo artuo: Quem facillè consolaberis omnem abstergebis dolorem, ad firmum animi statum priùs composueris. Faxit DEUS, ut

hunc luctum postremum optimus Heros ex domo sua videat, & tu ipsum sera & nepotibus demum tuis nota die lugeas. Vale!

LXXXI.

ET si certare tecum contentione dicendi non ausim, vigere tamen inter nos honestam certationem familiarium officiorum nimis cupio. Atq; idè amicitie nostrae in primis gratulor, quòd non solum inclinatione voluntatum, sed etiam vicissitudine literarum pares sumus. Dabo autem operam in posterum, ut sicut tu dicendi gravitate & copia antecellis, ita ego crebritate & magnitudine officiorum superem. Verùm ut libentior erga te hujus muneris diligentia perseveret, tu quoq; curam frequentandi sermonis promptè artuo: Ea enim res tuum erga me animum mutuum porrò probabit & perseverantiae obsequii mei grata fomenta sufficiet. Vale!

E LXXXII.

Amicitiā non paginā, non ver-
bis metior. Literas optimas
eas esse duco, quæ rebus pondero-
sæ, verbis levissimæ censentur. Nam
citius nescio quomodo penetrant an-
imum, interpretem istum ac nutu-
m rerum, & in animos legentium
penitus se insinuant. Non amo de
clamatorem de ludo, aut rabulam
de foro, qui magno conatu ma-
ximas nugæ agit, h. e. stultā molesta
loquacitate nihil dicit. Malo in-
sertam prudentiam, quæ cogita-
tionis complexione verborum
enunciat. Sed tu literas tuas tam
exiguas facis & tam breves, ut oc-
ulorum aciem effugiant, ut nusquam
prorsus appareant, nusquam se
conspicuum dent. Apagesis tu-
turnitatem annuam; Et verbis pe-
cuniarum res multas nuncia. Non est
inhumanus, ut cæteris solutus cur-
tantur.

tantulo negotio graveris. Aut si
experiiri recusas, quod te, in provin-
cia negotiosa & molesta, assequi
posse diffidis, saltem exiguum futu-
ræ scriptiōnis specimen dato, novi-
periculum calami vel atramenti vel
chartæ facito. Literarum vel in-
ventio vel usus hominis proprius &
peculiaris est: scribe igitur vel ob
hanc causam, ut te aliquando vixisse
atque egisse inter homines, constet.
Quod si mea fortassis importunitas
tibi posthac gravis aut molesta acci-
det, fac aliquid te rogo, quod eodem
modo me offendat, eademque me in-
juria afficiat. Non idcirco multis
tecum rixabor, non litigabo; nisi si
forte idem faciam, ut tuas frequen-
tiores & verbosiores eliciam. Vale!

LXXXIII.

NOvo exortu solis nova voti
sponsione pro salute tua Diis
immortalibus me obligo. Quan-
quam majori religione, quam quis-
quam

quàm fuit ullius voti, me jam obstrictum puto. Ita nempe meæ apud DEUM preces ad id semper revolvuntur, ut annus, quem agis, feliciter exeat; & novus, quem inchoas, prosper ac felix incipiat. Restat, ut & tu mihi prosperitatis tuæ gaudia quàm primum impartias, & ego vota pro te suscepta, DEO statim reddam. Quæ gaudia ut & solida fide & optato fructu ad notitiam nostram perveniant, cœli favor & tuæ literæ præstabunt.

LXXXIV.

ANTIQUI omnibus rebus agendis quod bonum, faustum, fortunatumque esset, præfabantur. Religio & pietas nostra non laude solùm, sed etiam imitatione digna. Et enim tibi novum annum auspicant quid aliud à DEO immortali optem quid voveam, quàm quod bonum, quod faustum, quod fortunatum sit tum tibi Patrone, tum tuis quoque.

Hæc

Has sanè preces, hæc vota primum pro incolumitate, deinde pro felicitate tua DEO nunc alacres lætiqve offerimus. Faxit ille ter optimus maximus, ut vota ritè suscepta, post spacium annum, pari alacritate, pari lætitia reddamus; Et nova rursus pro te tuisque omnibus in annos innumeros alios nuncupemus: quæ sequentibus aliis super alia temporibus gratò animò, immò etiam gaudenti persolvamus! Vale!

LXXXV.

UNAM & alteram scribendi causam pietas suggestit, ut novi auspiciis anni tibi faustum & felix à DEO, unà cum reliqua vita, precarer. Hanc religio amicitia suppeditat, ut epistolam, quàm de eadem opera & affectu ad Mæcenatem meum exaravi, tecum communicem. Superest, ut & vota ex animo profecta utriusque; ex sententia procedant, & tu voti sermonis vicissitudine

E 3

me

me quamprimum certio rem de
communi felicitate reddas. Vale!

LXXXVI.

VOta solennia principiò superioris
anni pro incolumitate tua susce-
pta, eò feliciter exactò, magna animi
alacritate persolvimus. Nunc quo-
niam novum magne Patronæ auspici-
caris solem, nova rursus vota pro
perennitate felicitatis tuæ læti atq;
alacres nuncupamus: precantes DE-
um, ut & hunc annum & innumerò
alios felicissimos agas, prosperosq;
vitæ sine ulla offensione cur sis, nomi-
nistui gloriam integer & incolum-
multis præclaris divinisq; operibus
augeas atq; amplifies. Vale!

LXXXVII.

Duplici me beneficio devinxisti
Unò, cum epistola de omnibus
rebus, quas scire cupiebam, diligenter
me ad largius officium invitasti: al-
terò, cum simul bajulum rescripto
meo, quò tutius ad te perveniret
exhib

exhibuisti. Sume igitur nunc du-
plicatam gratiam: Et quæ accuratæ
scribentis industriæ satisfaciatur; &
quæ simul curam de vicissitudine offi-
cii mei compenset. Restat, ut per-
gas, sicut cœpisti, & observantiam
nostram munerare relatu mutuae
affectionis, & officium provocare
crebritate alloqvii. Sic enim mihi
gratia diligentis cultus eveniet:
(nam quid mihi optabilius ad sum-
mam commendationis accidere pot-
est?) Et inter alias laudes tuas con-
tinuatæ erga clientem benevolentiae
titulus legetur. Ego in reddenda
vicissitudine certò modò par esse nã-
tar. Nam si Atticis modò Latino, h. e.
Latini sermonis copiâ & elegantia
impar censebor; constantia certè
mutui affectus par esse conabor.
Vale!

LXXXIIX.

ET si scripta mea intelligentium ju-
dicio timidè & diffidenter cõmit-

to, quod plurimis adhuc styli pœnato; tamen eos, qui summam eruditionem & doctrinam cum pari humanitate conjunxerunt, per literas libenter alloquor, etiam cum periculo existimationis & famæ. Capitula igitur has breves: quas nunc idem mitto, ut tuas pleniores eliciam, quibus de tuo omni statu fortunæ edoceri cupio. Quippe ea res me ad promptiora officia acuet, cum brevibus & incultis meis longioribus & doctior pagina in modum grati atuti fœnoris responderit. Vale.

LXXXIX.

Diem ex die expecto, ut nuncios quàm commodè navigaris, & quàm feliciter perveneris. Quocirca te, cum primum poteris, diligenter facturum confido. Scis enim, quàm cupiam prospera quæquæ de valetudine & omnibus fortunis tuis cognoscere. Sed cum sollicitudo de amici salute non animum meum magis quam

quàm tuum, afficiat angatque; invicem non intermittam, quoties nuncium fida occasio exhibebit, officia mutui erga te cultus diligenter explere. Vale!

XC.

Si propter egestatem in inopia esse pecuniam non haberes, pluribusque deberes, facile moram & tergiversationis tuæ damna ferrem. Nunc cum te sciam non modò in ære alieno nullo, sed in tuis nummis multis esse, tibi non immeritò succenseo. Nam cum plerisque in rebus tarditas & procrastinatio odiosa sit, in solvendo odiosissimam esse convenit. Sed odium minuit iteratum promissum receptumque tuum: Cui si ad constitutum tempus satisfeceris, & amicam succensionem meam facile mitigabis & diuturnam expectationem desiderii mei oppido explebis. Vale!

XCI.

EGo hanc viam ad gloriam proximam

mam & quasi compendiarium esse iudico, si juvenes illustri loco genitum primis statim annis ad Rempubl. accedant, Quod consilium quoniam tibi quoque probari audio, non possum, quin tibi animum istum ex animo gratuler. Aderis expectatus Principi, desiderandus militibus, quibus imperabis. Nec dubito, quin tibi sit acceptum ferendum, si plures tui ordinis & loci ad saniora consilia redierint, h. e. diurnam & longinquam peregrinationem officio & muneri publico peræque posthabuerint. Causa enim est bonorum frequentium, qui laudabili exemplum prævit. Vale!

XCII.

Merito quereris de acerbitate letterarum mearum, quas nunquam ipse damno, & meliore parte fortunarum mearum expiatis velim. Sed quid facerem? Antè occupabat animum iracundia, quàm providere

ti poterat, ne occuparetur. Quapropter eò te mihi placabiliorem præbebis, & sicut scribis, te facile exorari sines, si posthac frequentius ac minus iracundè scribam. Quod faciam profectò utrumque prolixo animo: quò & tibi decus reconciliationis gratiæ & mihi fructus recuperati amici conveniat. Vale!

XCIII.

PUero, quem statim ad te recurrere iussi, superioribus diebus id tantum respondi, de te mihi curæ fore. Postquam negotium, quod mihi mandaras, ex animi sententia confeci, promissi fidem tibi facere lectio literarum debet. Esto igitur nunc animo lætiore, & confidito, omnibus in rebus, quas hic agi, quas à me curari voles, me parem curam & diligentiam adhibiturum. Vale!

XCIV.

Nunquam committam, ut me accusare de intermissione literarum

rum aut de oblivione officii Domine possis. Alterum crebra vel potius quotidiana scribendi occasio, alterum memor & gratus erga bene meritum animus vetabit. Silentium tuum ita interpretor, ut, quoniam nulla mea in te merita extant, te minus animumque ab hoc officio jure meritoque abstinere existimem. Quippe non ejus generis doctissima literæ tuæ sunt, ut eas temerè nittere debeas. Quanquam exigua scheda à manu tua mihi magnæ deletioni ac voluptati foret. Tu videris an in tanta mole curarum desideria ejus reminisci possis, qui sine grata recordatione meritorum tuorum vivere nequit. Vale!

XCV.

Quantquam proprii dolore vulnere conficior; tamen incommodo valetudinis tuæ non potui non graviter commoveri. Spero, modicum istum non diuturnum aut per-

culosum fore: Te autem hoc solatio libenter acquieturum, quod tibi hæc fortuna communis est cum cæteris. Nam ita hoc quoque à natura non iniquissimè comparatum est, ut interdum incommoda valetudine simus: quia beneficium bonæ valetudinis tum demum intelligimus, cum è gravi morbo recreati sumus. Opto, quàm primum ex literis tuis cognoscere, te in eundem finem ægrotasse atque eundem in finem post breve tempus convaluisse. Nolo tamen, scribendis literis te fatiges, prius quàm tibi meliusculè sit. Nam ægro corpori quies, quàm actio, utilior est. Vale!

XCIV.

Incognitis testis rerum gestarum laudator meritorum quærendus est. Ego, dum tibi novum magistratum gratulor, abstinere testimonio & laudibus debeo: ne actum agam, si meritorum tuorum, quæ

omnibus cognita atque spectata sunt, non necessarius præco existam. Deinde cauto opus est, ne impar prædicatio neque rerum tuarum gestarum magnitudinem assequatur & ingenii mei infantiam arguat. Superfedeo igitur huiusmodi conatu, & hoc unum tibi affirmo, mereri iustitiam & probitatem tuam, ut doleamus, quod nobis ereptus es: postulare amorem, quo te abeuntem prosequuti sumus, ut, quod eum magistratum, eos honores, eas opes adeptus es, gaudeamus. Vale!

XCVII.

Non credo, te quicquam malle, quam ut voluntati meæ obsequaris, et si te quotidiè aliud ex alio impedit, quò minus mandata mea digeris, perseguare, conficias. Ergò animi tui certus hanc dilationem minus molestè fero, neque tua hic negotia desero, ne, quod tu invitus fecisti, ego studio fecisse videar. Quippe longè

longè alia ratio est ejus, qui necessitate excluditur, & ejus, qui res mandatas voluntate sua curare omittit. Par quidem damnum & detrimentum ex omissione dissimili percipitur; Magni tamen refert, utrum officio libenter, an necessario defueris. Ergò mandata tua exequi pergam, quamvis satis facere meis porro impediaris. Tempestiva mihi rerum mearum expeditio videbitur, quæ ex voto meo erit. Vale!

XCIX.

Literas Spartanæ brevitatis, quibus meas longissimas remunerasti, paulò ante accepi. Ex quibus tantundem penè animo meo gaudii accessit, quantum rebus tuis prosperitatis adesse nuntiasti. Quod indicium fortunatoris fortunæ ut sæpè mihi facias, nec rogare te debeo nec monere: Cum neque gratuita blandæ mercedem rogationis, neque volun-
taria

taria stimulum severæ admonitionis
requirant. Vale!

XCIX.

AVeo scire, quæ causa sit, cur
tam diu fileas. Quid? agnoscis
studium meum curamq; de salute
tua? an potius animadvertis otium
quod & rarò datur & nunc mihi per
optatò datum est? Nosti credo, oc
cupationes otiosorum, quàm sint
cupidi rerum novarum: quàm labo
rem omnem longa animi provisione
fugiant. Quare malo nunc longior
resepistolas legere, quàm ipse scri
bere. Illud aptum curiositati otian
tis, hoc delicate molliterque viven
tis desidiæ conveniens est. Nemo
enim est magis curiosus otiante, ne
mo magis desidiosus delicate molli
terque vivente est. Vale!

C.

HUjus epistolæ non solum ea caus
sa est, ut ego officium tibi meum
&

& diligentem cultum tribuam; Sed
etiam hæc potior, ut tu vicissitudi
nem mutui affectus prompto absol
vas officio. Ero enim deinceps ad
exercendum stylum paratior, si me
beneficio relati sermonis ani
maveris. Vale!



CHRI-

CHRISTOPHORI GERTNERI
 à
 GARTENBERG
 EPISTOLARUM
 FAMILIARIUM
 CENTURIA
 SECUNDA.

AD
 DIVERSOS.

I.

Quæ res ad com-
 mendationem duæ pluri-
 mum possunt, earum fiducia,
 Mæcenas benignissime, parva
 mihi aut nulla est. Nam neq; inge-
 nio polleo, neq; industriæ atq; labori
 satis fido. Præcipuam spem rerum
 mearum in tua mihi perspectis-
 sima benignitate positam habeo.
 Quam si huic quoq; fortunæ, ut in
 secundis miseræ, ut in adversis me-
 diocri, præstiteris; inimicitias, quas
 &

& multas & immeritas plerumq;ve
 fumo, facilius propulsabo: Et peri-
 cula, si qua scriptis meis imminet,
 fidentiùs excipiam. Quæ duo ut
 favor tuus & precibus tuis clemen-
 tia Principis promoveat, non alie-
 num est: felicitate præsentis seculi:
 Cujus felicitatis me solum exortem
 esse non par est. Vale!

II.

Commendo Excellentie tuæ mi-
 litem non miles. Quid faciam?
 amicus meus & necessarius est. Hoc
 plurimum apud me momenti habet,
 ut velim: debeo autem, quia hoc
 magnopere à me petit, & preces me-
 as credit magnum apud te pondus
 habituras. Suscipe igitur Impera-
 tor militem, eumq; non tironem,
 sed veteranum, & qui plus quadra-
 gesimum hoc stipendium parendi
 aut imperandi habet. Quid miraris?
 Eqvo, admodum tunc adolescens,
 meruit summo Imperatore belli
 Rege

Rege GUSTAVO ADOLPHO.
 A quo tempore usque ad hunc diem
 à decoro & honestate vitæ transver-
 sum unquam non discessit. Verum
 fortunæ iniquitas & inimicorum
 conspiratio spem ejus paulisper in-
 frigerunt. Hoc sanè effecerunt, ut
 fructus magnorum suorum laborum
 non, ut oportebat, latos & uberes,
 sed magna acerbitate permix-
 tos tulerit. Speramus, hanc præter-
 riti temporis injuriam præsentis ju-
 stitiæ in commodum ejus utilitatem
 quæ conversum iri, si tua innocentia
 & deserti patrocinium suscipiet.
 Vale!

III.

SI consuetudinem tuam in suscipi-
 endis legitimarum controversiarum
 patrociniis servas, hic meus am-
 icus ad te venit, ut causam, quæ in
 recensione actorum versatur, te de-
 fendente obtineat. Genere & opti-
 bus suæ civitatis facillè primus: do-

ctinâ & prudentiâ genere suo nobi-
 lior est. Tibi igitur illum diligen-
 tissimè commendo, rogoque, ut to-
 tum suscipias ac tueare. Ipse vicis-
 sim dabit operam, ut quàm gratissi-
 mus erga te cognoscatur. Ex primo
 ejus congressu conspectuque animad-
 vertes, me minora de illo dixis-
 se, quàm debui: majora, quàm pu-
 dor ipsius possit agnoscere & susti-
 nere. Vale!

IV.

DICI non potest, quàm multa sint,
 quæ uno tempore & loco gau-
 dere debeo. Non expectas, credo,
 ut tibi pluribus exponam, quæ causâ
 sit tanti tamque multiplicis gaudii:
 cum ejus auctor & quasi architectus
 ipse fueris. Ego tamen, tanquam si
 aliquid tale à me expectes, cuncta
 tibi nunc breviter exponam. Misisti
 ad me doctissimos libros tuos: id sa-
 tis visum ad non mediocrem lætiti-
 am.

am. Addidisti epistolam elegantissimam: id animo meo cumulum quendam gaudii attulit. Sed quia in affluentia rerum bonarum plerumque accidit, ut ambigas, quid potissimum sumas; Ita aucipiti electione distractus addubitavi, unde potissimum ordire: aut quid prius quid posterius legerem? Tanto flagrabam desiderio omnium potius quam singulorum. Quid facerem? Ne accuratior lectio unius cognitionem alterius moraretur, celeriter pervolavi universa vel potius per præterii. Mox accuratius singula perlegi: ut si quid festinata usurpatio prætermisisset, lectio repetita animadverteret. Apparuit in uno quoque; varia eruditio & doctrina, in omnibus unus & idem stylus. Inter duas artes inter se diversissimas artes præcipua pares atque ejusdem societatis dignitatis, constituisti. In perfacile esset, majora his, quæ dixi, addere.

sed non debeo onerare pudorem tuum; quem gloriolam nimii præconii molestè laturum certò scio, et si moderatas laudes modestia tua non averfatur. Vale!

V.

ET virtus tua & utilitas amicorum & emolumentam totius Regni postulabat, ut tibi cura & administratio majoris negotii & muneris concrederetur. Quamquam video, optimum principem in eo prius utilitatis suæ, quam dignitatis tuæ rationem habuisse. Adeo tua illa præclara eruditione atque doctrina Respublica amplius carere non poterat. Sed non oportet ambitiosam esse testificationem gaudii mei, ne assentiunculâ tuam aucupari gratiam videar: cum ratio veritatis simplex esse debeat. Tibi igitur gratulamur, te tuis meritis frui cupimus: Tibi optamus eos fortunæ processus, ut, patre

patre adhuc vivente, avi & proav
duorum clarissimorum Senatorum
renovare memoriam atq; etiam au
gere possis. Cætera per te præsta
bis: Cùm fieri non possit, ut aut pro
bitatem, quam privatus coluisti, in
potestate non sãrtam tectam ab o
mni corruptela conserves; aut bo
nas artes, quas gratis exercuisti, in
centivo præmiorum non augeas.
Vale!

VI.

Næ tu accusator vehemens &
molestus es. Sed accusa jam,
quantum maximè potes, contende,
litiga. Nunquam tamen tantum pro
ficies, quantum ipse velles & ego
præcipuè cuperem: nimirum ut fa
ctum ne sit, quod me invito factum
esse doles, & simul ita criminaris,
tanquã me invito factũ esse nescias.
Sed hoc pleriq; facimus, ut consilia
eventis ponderemus: Et cui bene
quid

quid processerit, multum illum pro
vidisse; cui secus, illum nihil sensisse,
putemus. Atq; ideò non recuso te
meritatis culpam sustinere, ne aut te
perversi judicii, aut adver sarium
scelesti & nefarii facinoris arguam.
Quid enim? Liceat mihi semel im
punè peccasse, sit erranti medicina
confessio. Quòd si tamen primùm
consilium meum, deinde acta, postea
eventum quæres, atq; ita rem totam,
prout gesta est, diligenter rpenitusq;
cognosces, paulò plus fortunæ,
quàm conscientia meæ imputabis.
Cognosces quippe, me prius circum
fessum, oppugnatum, victum, quàm
cavere, repugnare, defendere po
tuerim. At enim, ut callidus es in
artificio accusatorio, mones, homi
ni togato omnem contentionem di
micationemq; vitandam. Ego verò,
ne res ista ad manus & pugnam ve
niret, sæpius cavi, & ideò solitæ mo
destiæ ignavum quodammodò junxi
F
timo.

timorem : Cujus me nunc confilii
unicè poenitet pudetq; . Tibi tamen
gratias ago, quòd adeò faves existimati
mationi nostræ , ut nos acciperem
quàm propellere injuriam , malis
Vale !

VII.

ESt omninò ulciscendæ injuriæ fa-
ciliior ratio, quàm remunerandæ
officii. Poteram offensusunculas, quæ
à te acceperam, nullo negotio ulci-
sci & persequi : Nunc, postquam
tot & tantis tuis beneficiis affecto de-
reddenda gratia cogitandum est, vi-
cem officii reddere nullam possum.
Quid constringam aut comminiscar
ut ingrati saltem animi crimen, in quo
vitio nihil mali non inest, effugiam.
Hæreo miser, nec, quòd me vertam
habeo. Adeò rationem ac viam
quæ tuis erga me meritis debita
gratiam referam, nullam invenio.
Spondeo tamen, nullam unquam fe-
re occasionem, quæ non libenti &
pro-

prolixo animo facturum sim, quod
potero & tibi gratum esse, sciero.
Sed non debeo ambitiosa contesta-
tione officii obrepere verecundiæ
tuæ : Cum ipse testeris, te ex debito
præstitisse, quicquid ego in beneficio
numero. Vale.

VIII.

Per diu literam ad me nullam de-
disti, ut hoc desiderium meum
jam plus sit annum. Soleo meo-
rum factorum rationem tuam plerum-
quæ auctoritate defendere. Sed hu-
jus tamen exempli improvidus imi-
tator esse non debeo. Nihil est,
quod non potius faciam, quàm ut me
ad vitiosam consuetudinem accom-
modem. Itaq; morem meum illum
pristinum hac iterata scriptione in-
stauro & renovo. Nec dubito, quin
libenter ipse secuturus sis exem-
plum, quod à te erat suppeditandum.
Vale!

IX.

Fuerit verecundiæ tuæ, quod mihi de honore accepto nondum indicasti. Ego tamen differre gratulationem non debui, dum huius me voluptatis literis tuis participem faceres. Nihil quippe mihi longius videbatur, quam dum gaudium, quod ex hoc incremento amplitudinis tuæ percepi, tecum communicarem: quem antè semper habui & deinceps habiturum spero socium & participem fortunarum omnium. Igitur tibi magistratum istum ex animo gratulor: optoque ut dignitatem, quam promeritis tuis summum jus & summa æquitas tribuit, summa porro felicitas, quibuscunq; poterit fortunis, augeat atq; amplifcet. Vale!

X.

Solet hoc in bene morata & bene constituta civitate accidere, ut miserorum prostratæ afflictæq; fortunæ facile feliciam opes alliciant ad

miser-

miseri cordiam. Id à tua felicitate nunc sperat atq; expectat conterraneus meus, iustitia tua fretus: & ut confidat, facit sanctissimus magistratus, quem geris. Itaq; à te promptum juris auxiliium, à me non inopem commendationem petit. Quod ad me attinet, fungor ego quidem partibus meis, teq; vehementer rogo, ut facilem te ei cum assessoribus tuis præbeas, omnibusq; rebus eum ita iuves, ut intelligat, se integritate sua illis acceptum, tibi precibus meis gratiosum fuisse. Vale!

XI.

TE propediem in urbem venturum, rumores lætiores ferebant. An veri, fors viderit, aut si quis est, qui gaudia nostra curet, **DEUS**. Interim per communem amicum mihi præfens epigramma, ut me tui memorem testarer. Ille enim, cum ad vos excurreret, mihi pollicitus est, si quid literarum daturus essem,

F 3

se

curaturum, ut tibi in manus veniret
 Quæ pollicitatio adeò mihi grata ac-
 cidit, ut jam minus ægrè laturus sim
 si tardius, quàm fama promisit, ad
 nos redeas. Sed in hoc multus est
 non debeo: ne productio epistolæ
 scripti contractionem arguat. Me-
 neco tamen, ne immoderata inser-
 ptio partes iudicii, quas ipsum ep-
 gramma sumere debet, præoccupet.
 Quippe sola tituli inspectio graviter
 aliquid à nobis expectat. Sed ut
 finem epigrammatis videris, cum
 principio in gratiam redibis. Non
 enim panegyricum scribere iustum
 sum: Sed brevi complexione verborum
 res multas devincire. Quæ
 ergo? annon ad hæc quoque; medicum
 cri opus est ingenio? an & eruditum
 ne præstanti? Quamquam nec hæc
 nec illam in me agnosco: cum nec
 in re brevi satis me explicem; nec
 in longa verba cuiusque rei proprie
 reperiam. Vale!

De ortu, incremento & diminutio-
 ne Romani Imperii.

Aspice Martigenam Remo cum fratre
 Quirinum:

Quos fovet exili Tybridis ulva toro.

Hinc tamen ingentis surgunt primordia Re-
 gni,

Hinc septem geminò Martia Roma jugò:

Quæ mox sic crevit, sic bis caput extulit
 undis,

Tangeret ut summo vertice celsa Deos.

Hic tu quantumvis totum circumspice mun-
 dum,

Nil nisi Romanum, quod tuearis, erit.

At simul æ fluidis fortuna fugacior undis

Sumserit affectus insidiosa novos;

Et simul ambitio confusaq; gloria fucò

Condiderit pigro brachia lenta sinu:

Aspice tunc rursus, totum circumspice mun-
 dum,

Vix quid Romanum, quod tuearis, erit.

XII.

Tuo potissimum patrocínio usu-
 rus eram apud optimum Virum

focerum tuum. Sed veritus, ne tibi prius excusanda esset recusatio, illud quidem petere distulorare, ut ipse mihi ignosceres, festinavi. Nam cum amicitiam vestram contempler, cujus jus in eo est, idem ambo semper velitis; metuone, ut me socio ac penè pari affectu diligitis, ita summa voluntatum conspiratione consensuque incusati. Quem igitur Patronum nunc potius invocem aut exorem, quam illum quo defendente sæpius vici? An verear, ne excusatio tardioris ingenii & nullius ferè eruditionis, parum momenti ad satisfaciendum habeat. Misera hæc, fateor, sed justa defensio est. Qui enim me operoso negotio ac muneri implicent, cujus in summa ignorantia versor. Fortassis etiam illa, quæ alii ante me rectè atque ordine fecerunt, imperitia mea turbaret, confunderet, misceret. Quare & ipse mihi ignosces & me defendis.

defensio meæ apud communem amicum favebis: Cujus honestissimis oblati gloriari, meum est: iis frui fortunatorum. Vale!

XIII.

Officium intermissum vel necessitatis vel negligentie excusatione defenditur. Habet enim & hæc & illa aliquid satisfactionis, non illius quidem justæ, sed quæ probari posse videatur. Hoc tu pacto nunc criminandi tui silentii à te removes. Etsi magis tibi necesse erat, accurata ista excusatione utri adversus eos, quos invitus offendis, quam erga me, cujus idem delictum est. Quippe mihi quoque incommoda valetudo impedimento fuit, quo minus ad te longo tempore scriberem. Non dubito, quin exhorrueris tristi de me nuncio. Nunc postquam DEO juvante ea, quibus constamus, rursus inter se congruunt: quod sanitatis indicium est: quis tam durus amico

non paratam veniam daret? Ego verò tibi istud, quicquid vel necessitatis vel negligentiae est, libenter remitto. Restat, ut tu eadem mihi facilitate condones, quod à me invito quidem, sed peccatum est. Ita post hac mutua voluntate ambo sarcinemus, quod necessitate ambo negleximus. Vale!

XIV.

Succenses, quod urbe relicta rursus diutius consisto. Omnino amicis succensere non temerè soleo: quia enim succenset amanti? Succenseo tantum meum & aliquantò etiam iustius, quam tu, quod spreta rusticatione, hoc est otiosa & quieta vita, ad labores contentionesque urbanas revertisti. Verum utriusque puto faciendum fuit, quod tempus & necessitas flagitavit. Tu quippe invitum urbana officia arcesserunt. Nam atque illis fuisset (agnoscis Comicum dicendi genus) rectè tibi vidisses & delectationem omnium

prae rusticandi hac incredibili voluntate levem duxisses. Mihi corporis infirmitas manum iniecit, & adhuc in agris consistere atque commorari coegit. Itaque octavum jam diem æstu febricque jactatus, loci magis salubritate, quam amoenitate sustentor. Adeo omnem voluptatem aspernatur dolor & motus asper in corpore, alienus ab omni sensu jucunditatis. Sed si fortuna, quae nobis jam infesta est, aliquando propitia erit, & tu molestis operosisque negotiis, quibus implicaris, te propediem expedies, & ego cum sanitate quam primum in gratiam redibo. Sic fiet, ut aut ego libenter ad te in urbem veniam, aut tu in agros, ubi detineor, non invitus redeas. Vale!

XV.

Lectis literis tuis statim misi, qui patri te excusaret in eo ipso, in quo is me accusat. Mallet quippe, te unam cum cæteris revertisse. Cum

alia multa suspicatur, tū hoc veretur ne non ex sententia sint omnia. Sed mihi quoq; necesse est cupere, etiam optare, ut quævis alia causa, quæ morbus, te detineat atq; demoretur. Non potuisti adhuc cognoscere quanti te tui facerent. Nunc, postquam abes, emergit amor, desiderium ferre non possunt. Mitigatum tamen metum missis opportunè literis: quas sæpius iterabis, si qua necessitudo reversioni tuæ moram & impedimentum porro afferet. Vale

XVI.

Tenendam hanc horam puto quæ opportunitatem ad scribendum amplam habet. Amieui communis Ubsaliam profecturus mihi obtulit: Cui nihil ad te literarum dare, summa vel impietas vel negligentia videri potuit. Valerius igitur tuos omnes nuncio, te vehementer cupio: Simul, ut nos indicio incolumitatis tuæ quam primum exhilares, rogo. Vale!

XVII

XVII.

Ex literis tuis non mediocrem voluptatem percipio. Vide enim mihi modò tecum unà rura peragrarè, modò in rusticatu aliquid garrirè aut scribere. Quæ vita honestissima atq; suavissima est. Sed si plusculum laxamenti nactus interdum nobiscum ferre nidorem urbis fumumque velles, paulò plus mihi præsentis aspectus, quam absentis scripta, delectationis gaudiique conferret. Facile tamen patior, te quietem campestrem molestiis urbanis antepone. Nam præsumo, futurum, ut ob multas res, quibus rustici quoq; agrè carent, non nunquam in urbem venias, mihiq; tui copiam videndi amplam facias. Hoc interim spacio, dum locorum intervallo disjuncti sumus, per literas tecum sæpius me colloquar, & idem ferè absens, quod si coram essem, consequar. Nam etsi tu rusticam, id est, horridam

F 7

dam

dam & incultam vitam agis nunquam tamen tam rusticè quidquam facies ut non promptè respondeas in amore ei, à quo tam urbanè humanitèr què provocaris. Vale!

XVIII.

Epistolam meditabar plenam Sto- machi & querelarum. Sed sermo longo intervallo repetitus & relatus impetum amicabilis convectionis facile repressit. Ergo ad animam illum pristinum revertamur, & necessitudinem conjunctionis, quæ summis quondam officiis ab utroque culta est, sermonis suavitate & frequentia, nodò amicitiae amabilissimè arctius constringamus. Sic enim futurum est, ut nec ego amplius tecum accusatoriè agam, nec tibi necesse sit, longioris silentii causam defendere. Vale!

XIX.

Pertinere ad officium meum arbitratus sum emendationem vitiosam &

& corruptæ consuetudinis à tua puriora & incorrupta consuetudine petere; Cùm indulgentia tua me toti liberatæ sodalitati, atq; adeò unum universis præesse jubeat, alterum mihi, ut studia singulorum à singulis præceptoribus regantur, necesse est illos porrò ad hanc rationem vitæ non doctos, sed factos; non institutos, sed imbutos esse decebat: Ut suas quisq; partes facili & prompta industria non solum suscipere, sed tantum etiam obire posset, quantum suscepisset. Tales mihi collegas dari, multitudo varietasq; laborum & certa discientium utilitas postulabat. De iis, qui nunc in eodem mecum labore sunt, judicium fieri nihil attinet. Quippe non tam sollicitus sum de eo, quod factum est, quàm quod futurum esse metuo. Mihi moles tota incumbit: mihi, quantum consilio provideri potest, præcavendum est, ne in magna optimorum

morum hominum copia cum pessimis conjungar. Optimè, credo meis necessitatibus & publicis commodis confules, si Illustri Mæcenati provideas, ne posthac quivis è vulgaribus studiosorum obvius, sed usu aliquo probatus spectatusq; ad hæc ardua si qua alia sunt, negotia adhibeat. Vale!

XX.

Credo, institutum meum non nihil reprehensionis aut certè admirationis habiturum, quod in hoc nostro communi & quasi fatali malo officia literarum non segniter exsequor. Sed hisce ego fomentis sustentor & recreor: Hæc mihi solatia sunt summorum dolorum. Nempe non ita me oppressit stupor, ut non sciam, dolorem, quæ in amici sinu effunditur, facilius minui atq; molliri. Id verò tantum abesset ab officio rationis, ut nihil rationi magis effectum contrarium. Quamquam nec sic quidem

dem proficio tantum, quantum volo. Nam inter has ipsas meditationes commentationesq; opprimor interdum & vix resisto dolori. Adeo cessatio ægritudinis, si qua est, ad exiguum tempus durat: Cum ita à nocturnis cogitationibus discedant dissimulata mala, ut ad eas mox revertantur. Quare non est, ut nunc longas à me literas expectes. Tuus potius stylus sibi indulgeat, tua in altum provehatur oratio: Ut & tibi gratia recreati atq; restituti amici, & mihi levatio præsentis mali eveniat. Vale!

XXI.

TE ex Gallia reducem propediem domum, propediem ad nos in urbem venturum, constans fama & sermo omnium promiserat. Voluptatem tui videndi spe summa præceperam. Qui casus, quod factum interceptit speratum gaudium? Sed nunc tamen cognovimus, te no-

vo missu principis cum aliis manda-
tis Ratisbonam divertisse. Itaque
officium debiti cultus & alia majora
quoniam id coram facere prohibeo.
Teque rogo, ut me prosperorum tuorum
indicio certiore reddas, crebra
mea alloquia tibi posthac non
ingrata futura, quod prima non
aspernatus es. Vale!

XXII.

Fuerit occupationis tuae, quod de
mutui sermonis nondum
retribuisti. Nunc si otium tibi
& si vis, huc te para, hoc age,
gratas fuisse literas, quas tibi alio
super alias misi, prolixa responsio
resteris. Vale!

XXIII.

Ut meditationem Aristotelis (in
duae praecipuae feruntur) me
emere debeas, missa pagina des-
bit. Superest, ut glutinator & huius
& ceteros libros scite coagmenta-

atque in eam compingat formam, quae
usibus legentis commodissima sit. De
corio non laboro, utrum pergame-
num an quodvis aliud adhibeatur:
modo duraturum. Quod si opificis
diligentiam curamque parte merce-
dis provocandam censes, hominem
certum de meis mittam, qui, quan-
tum iusseris, numeret. Multiformis
perfidia est istorum hominum,
in varios se dolos vertunt. Credo
sic saltum devinciri posse, ut fidem
colant, si versuta & fallax nocendi
ratio beneficio praeveniatur. Vale!

XXIV.

Videō, curam & sollicitudinem
meam de tua tuorumque incolumi-
tate tibi non incognitam esse. In-
de enim est, quod prosperam adver-
samque fortunam mecum communi-
cas. Nunc quidem cognitionem mi-
hi & societatem optati gaudii praes-
tisti. Quid enim ex literis tuis
libentius cognoscam, quam uxoris
tua

tuæ valetudinem commodior esse multò, quàm ut erat nobis nunciatum. Quippe cætera, quæ illi aguntur, quæ acta sunt, ea nos exteris multorum & nunciis percipimus. Sed spero, lectissimæ foeminae jam esse, ut volumus. Ideo quæ tanquam si res omnis in tuto sit, gratias ago DEO, Domino ac moderatori rerum omnium: qui, qualis quæque sit, quid mereatur, quæ mente quæ pietate religionem colat, intuetur, piorumque præcipuam rationem habet. Nobis hic longior hyemum & vis frigorum, quam hoc anni tempore vix urbis hujus tectis sustinemus, commeatum navium tardior rem faciet. Quapropter cum natis & nauticarum rerum scientiis præditis de desideriiis tuis colloquar & ad te, quid mihi responderint proxime scribam. Sed fortuna operatur, ut ante Calendas Majas quispian ex hoc portu solvat. Vale!

XXV

XXV.

Solemus, cum ad colloquium congressumque brevi venturi sumus, nullas vel saltem breviores literas mittere; quia & supervacuo labore libenter abstinemus & præsentis omnia commodius exprimimus. Ego, etsi non despero, te ad diem constituta videre & visere & simul cœnare etiam; Tamen à scribendis literis mihi temperare non possum: quod nec te sermonis nostri ullo tempore exortem esse oportet, nec idonea occasio declarandi affectus superferenda est. Itaque tibi & salutacionem longam exhibeo, & ut antè scias, patri tuo rectè esse, quàm non bellè fuisse, eum jam planè valere nuncio. Sed & hæc & multa alia coràm brevi tempore licebit. Quare nullam nunc exigo vicem: quia te fructum hujus epistolæ proxima congressione crebris colloquiis pensare malo. Vale!

XXVI.

Scribis, te Gustavum Dominum
& discipulum meum antè dilexis-
se, nunc exemplò meò penitus am-
re. Agnosco vim phraeseos. **Q**uipe
pe antè illi quomodocunq; favebas
nunc ita faves, ut & illum unice di-
ligas, & diligas nulla indigentia, nul-
la utilitate quæsitâ. Maneat ergo
hæc inter nos honesta certatio, ut
ego illum porrò ex animo diligam
& tu illum non minus ames, quàm
ego, penè dixi, quàm omnes. Non
invidèbò tibi hanc palmam. Sed hoc
ita esse, tum demum credam, cum
ille te vicissim plus plusq; diliget, &
magis, quàm ceteros omnes, ama-
bit. Nam si amicitia jus est in eo,
unus quasi animus fiat ex pluribus
facile ex illius amore tuum con-
ctabo. Vale! XXVII.

Ecum Parisiis esses, sapius ad
litteras dedi, & postquam te Ro-
mæ esse nunciasti, cultum amicitia
luta

lutationis frequenter exhibui. His
enim nutrimentis maximè conserva-
ri amicitiam puto atq; etiam augeri.
Sed nunc ea quoq; causa scribendi
est, ut tibi significem, me jam rectè
valere, & quò melius valeam, ope-
ram daturum. Cujus rei indicium
non ideo facio, ut vicissitudinem styli
merear. **Q**uipe illam non cultus,
non curatio mea, sed tua benigni-
tas & affectio pollicetur. **Q**uem
ego, ut amaret, inducere potui, ut
scribat, facile exorabo. Vale!

Promiseram, nec veni ad cœnam.
Quid accussem hunc affectum,
qui, me, ut fallerem coëgit? **Q**uipe
fieri non poterat, ut tibi petenti
quicquam negarem. Non steti pro-
missis, fateor; Sed nec illa promissa
præstanda sunt, quæ sunt illis ipsis,
quibus promiseris nocitura. **Q**uid
verbis opus est? Me vinosissimum
esse, tute nosti. Pestis apothecæ vi-
naræ,

nariæ, pernicies cellæ penuriaræ venissem. Tuis igitur rationibus comfului, dum meas neglexi. Nunc velim hoc tecum expendas atq; æstimas, quantum huic animo debeas, quovo vel deceptus spe amplius abstulisti. Damnosam præsentiam pro miseram: absentiam non potes non in certissimo lucro ponere. Vale!

XXIX.

Non expectabas tu quidem, ut tibi gratias agerem de suavissimoliteris, aut ut referrem de gratissimo munere. Dudum hæc necessitas sublata est ex amicitia nostra quam nec utilitas ulla conglutinavit nec eadem commutata dissolvit. Verum etsi tu à me nihil invicem expectas, ego tamen tibi præsentem gratiam refero, eandemq; perpetuam habebo. Quippe ita nunc discolo, quod à liberalitate tua acceperam, affectui debitor esse non desinam. Facilis est remuneratio cæterarum rerum.

rerum: compensatio mutui affectus sempiterna est. Vale & mihi hunc animam perpetua, Sed quid aliud volui dicere? Mones, ut deinceps paulò diligentius scribam. Pudet quidem hujus conditionis & fortunæ; Sed tamen scribendum est. Tu literis meis, si occupatus es, te recrea atq; relaxa: Si otiosus, promptam illis vicem repende. Etiam atq; etiam vale!

XXX.

Tu quidem, gravissimo fortunæ vulnere percussus, stylo mortuum sermonem agrè committis. Sed meminisse debebas, me, eodem telo graviter sauciatum, & casum funestum pro eo ac debeo, humaniter ferre, & solatia styli libenter admittere. Valdè quidem doleo: Sed non careo medicina. Me ipse consolor, & fomenta dolorum, sicubi possum, illis adhibeo. Cui rei testimonio sunt versus, quibus mortem patroni

pariter deflevi, & me aliosq; erigeri
conatus sum. Quos ea nunc caussa
tibi offero, ut, si satis doluisti publi-
cum dolorem, communi rursus solati-
tio te erigas atq; confirmes. Episto-
lam verò hanc ideò ad te mittere
ut eo nexu obligeris ad responde-
dum; atq;, ut commodè responde-
re possis, animum à funestis cogitatio-
nibus revoces. Vale!

Epitaphium Matthiæ Biorenclavi
Legati, Cancellarii Aulici &
mox Senatoris.

Quem bene communi quondam de-
merentem
Vidit et amplexa est extera terra
quem post cuncta gravi tractare nego-
cure

Cancellos inter Principis aula suos:
quem tandem summos Rex sumere iussit
nores,

An potius summum sumere iussit om-
nia

Mole Biornclavus curarum fessus et annis
Huc posuit quanti conscia signi viri!
Anni quot? Decies senos expleverat et tres,
Octo simul menses, sex modò deme dies.
Nò gravis ista tibi fortasse videbitur ætas?
Acta vide, solum dixeris esse senem.
Acta vide, quæ ter denis feliciter annis
Gesit, et hunc magnum dixeris esse vi-
rum.

Si vitam nulliq; gravem cunctisq;, probatam
Porro vides, civem dixeris esse bonum.

Si flammam fidei et veræ pietatis amorem,
Cultorem superum dixeris esse piuum.

Tantus erat, moriens alium dum migrat in
orbem:

Fama viri nostro nescit in orbe mori.
Tanti fama viri, tantarum gloria rerum

Vivit et extremum non subit una rogam.

XXXI.

Mentis sæpè, an insolenter & ra-
rò? literas à te accipio. Et si tu
multò citius aliquè reperis, qui ex iis
locis, in quibus interdum tibi necesse est
paulisper commorari, ad nos rever-

tatur; quàm ego, qui ad te profici-
scatur. Tum etiam certius plerumq[ue]
scire potes, me Holmiæ esse; quàm
ego, te Parisiis aut Romæ aut ubi-
nam gentium? In eo igitur scrupulo
& dubitatione hanc ipsam epistolam
ad te paucis & quotidianis verbis
scribo: identidem me revocans, fre-
quenter occasione, frequenter mihi
ipsi diffidens. Quippe cum pro-
ignorem, ubi nunc sis, non par esse
puto, res alicujus momenti & pon-
deris temerè committere. Ad li-
brum nostrum quod attinet, eum
jam à fratre acceperis. Sed peto
te, nec ubi me incio exeat, aut tunc
illum ita corrigas, ne existimationem
meam noceat. Scis, in quo seculo
inter quos judices versetur. Male
hoc quicquid laudis & famæ est, a
iis sperare, qui futuris temporibus
de me tenuitate incorruptius judi-
cabunt. Nam & sine amore & sine

cup

cupiditate; & rursus sine odio, sine
invidia judicabunt. Vale.

XXXII.

Quod me hortaris, ut sæpius ad-
te scribam, suppetit mihi qui-
dem materia facilis, ut dicis, ex co-
servatione universa non tantum a-
ctuum, sed etiam cogitationum
meorum; Sed densa & continens
frequentatio epistolarum superio-
rum absumpsit, quicquid ex his &
illis sperari potuit. Quare solo nunc
officio fungor religiosæ salutationis:
externaq[ue] & aliena, si qua sunt scitu
digna, dexteritati illius, qui has tibi
redditurus est, committo. Quippe
nec ipse ea satis comperta habeo,
nec proficiscens industriæ despon-
sam jam & destinatam gratiam præ-
ripere debeo. Ab illo igitur, quæ
hic, quæ alibi aguntur, cognosces: à
me hoc unum, me nihil habere, quod
scribam. Vale;

G ;

XXXIII.

XXXIII.

UT præsentia tua mihi levationi fuit, cum non raro partes meas susciperes, onus sustineres, nec te labor ille gravaret: Ita absentia tua auget curas meas laboresq; multiplicat. Quippe solus nunc ago, quod ambo solebamus: agamq;, quoad feret facultas, id est, pro virili parte. Sed si tibi quoque facultas erit, fac, ad nos propediem revertare. Vel solus dies vel quævis una hora magno mihi usui erit, quid dicam, voluptati? Ipse ad te vellemisq; omni festinatione contenderem, nisi iis ipsis negotiis, de quibus loquor, hic alligarer & quævis sempiternis vinculis adstringeretur. Vale!

XXXIV.

Solebas, cum adolescens adhuc aut penè potius puer esses, officium humanitatis pro facultate ingenii prolixè

prolixè præstare. Nunc postquam tibi corporis & ingenii vires adauctæ sunt, minuitur scriptio,

Quantumq; accedit ad annos,

Fit minor et spacio carpitur ipsa suo.

Sed hunc versum non invitus adscripti: quia ab re præsentia non profusus abhorre visus est. Et si scio tamen, eo fragilitatem & diminutionem formæ notari. Redeo ad illud, quod initio scripturus eram. Doleo vicem hujus ætatis: cui ab illa vestra incunte certa mensura modusq; sermonis præfinitur, quem non licet excedere. Si quidem eadem mensura reddere jubes, quod à te accepi, non cumulatior. Agnosco aurium sensam fastidiosissimum. Atq; ideo nunc ipse imperabo mihi, ne verbosior sim. Videbo autem, an tu tam facile possis prolixitatem meam imitari, quam ego parsimoniam tuam nunc feliciter expressi. Vale.

XXXV.

Nuper hæc Academia, cum ea præstitissem, quæ lex imperati mihi licentiam amplam dedit, ut quodcumq; probabile in universo jure occurrat, id mihi liceat defendere: aliosq; ut quandoq; eodem honore censei possint, publicè docere. His meis honoribus te quoq; & quidem inter præcipuos amicorum, interesse voluissim; Sed quoniam intervallum locorum & temporum quo disjuncti sumus, optatam lætitiæ mihi negavit, munusculum mihi: ut vigere apud me officium meumq; in bene meritum animum meâ, quantumcumq; est, facultate testarier. Nunc illud te rogo, ne spectes, quanti oblata res sit: non enim magni æstimandum puto, quod jam nihili est. Vale.

XXXVI.

Serum officium reprehendi non solet, Vides credo, quò spectet præ-

præmissa sententia. Nempe ut vicissitudinem salutationis, quæ tarda & sera nimis est, apud animum tuum defendam. Quam pridem enim parem mihi honorem affectionis tuæ communis amicus exhibuit: Qui suâ modestiâ, ipsâ blandâ conciliatriculâ, mihi commendatus, postulatione tua commendatissimus extitit. Superest, ut tu quoq; vicem istam desiderio meo reddas, ut sermonem, quem nunc rependo, magis deliberatum cogitatumq; quam serum vel neglectum esse interpreteris. Vale!

XXXVII.

Et amicitia nostra multis nota est, & vinorum tuorum præstantia. Hinc est, quòd suæ quisq; rei familiaris sperat ope conciliationis meæ optimè consultum iri. Hac sanè fiducia Domini & Mæcenatis mei dispensator, ad emendam vim vinariam missus, suffragio apud te meo varioluit, Facies rem & amicitia nostra

nostræ & tuis cæteris factis convenientem, si vinum ei meracius vendas: Sed illud nec ita recens, ut proximis pastinatoribus natum sit, nec ita vetus, ut primos factores seminatoret; vitium noverit. Sed & precium ita moderabere, ut & hunc emptorem & cæteros, hanc famam secutos, in opinione, quam de meâ auctoritate & æquitate tua habent confirmes. Vale!

XXXIIX.

Mihi verò pergratum perque jucundum accidit, quod talem te gessisti in omni munere officii tui, ut præclarum ab hero tuo testimonium reportaveris. Scilicet is dubitanter antea & quodammodo timidè fidebat vulgo studiosorum, tædium præcedentium. Nec dubito, qui tibi acceptum referat, si successore nactus est moribus commodis & tollerabili convictu. Auctor enim est sequentibus probitatis & innocen-

tia, qui integritatis & elegantia exemplo prævit. Vale!

XXXIX.

Vetuse est illa lex justæ veræque amicitia, ut non solum jucundissima, verum etiam utilissima vitæ societas colatur. Intelligis, quorsum pertineat accurata & diligens præfatio. Te quippe tuam mihi consuetudinem & liberalitatem in defendendo communi amico præstiturū, hæc sententia me, ut confidam, facit: Causa est, in qua non de facto, sed de æquitate & jure certetur. Æquam & justam esse, ex testimonio, quod ipsi consensus civitatis dedit, cognoscet. Quare si nihil obsistit votis, innocentia & judicio publico gratiam præstabis benignitatem: quæ cum tibi non recepta, sed ingenita sit, non debeo tam injuriosus esse in justitiam tuam, ut pro homine notissimo & amicissimo petam, quod ei-

etiam si peregrinus & ignotus esset, sponte tua tribueres. Vale!

XL.

ERubui, cum munera mihi mitteres varii generis ad usum domesticum; fructus agri frumentarii, quantum satis erat, etiam vini & cerevisiæ, plusquam satis erat. Dies vix decem intercesserant, cum contumata donatione pudorem meum onerasti. Nunc vereor, ne tertia liberalitate antè me opprimas, quam ego gratias agere de prima possim. Habet enim hoc munificentia tua, ut conatum reddendi veteris beneficii novò antevertas; quòd eum esse questum maximum judicas, quam maxime aliorum servire commodis, tua negligere. Una igitur, ni fallor, mihi ad satis faciendum via superest, ut tibi ingenuè fatear, me tot beneficiis tuis respondere non posse: Nisi fortè ita sensurus es, ut me referre gratiam pates, cum parem mentem ac

volun-

voluntatem reddam. Nec ideò temeritatem meam argues, quòd me posse credo animi affectu tecum paria facere. Frustrà me muneratus es, si ne conatu quidem tecum comparari pateris. Quare si nullam beneficiorum tuorum partem referenda gratia consequor, facultates meas donis tuis impares; si gratiam ago, quantum maximam hic animus capere potest, voluntatem ergate parem & mutuam esse, fateberis. Vale!

XLI.

Facilitas & mansuetudo tua me hortatur, ut periclitantium salutem & fortunis serviam. Pro tuo autem ratiocinatore causa mihi apud te intercedendi facilior & justior est, quòd jam diu illum mei studiosum & amantem cognovi. Atque ideò amicitiae hunc animum, hanc voluntatem debeo. Quamquam totam causam in tua mansuetudine & humanitate repono. Tu consuetudinis tuae

G 7

me-

memor, & deprecationi supplicis, in qua non defensio facti, sed ignoscendi postulatio continetur, benignè auas; Et tuam animadversionem, & supplicium, quò usurus eras in illum, precibus meis remittes atq; condonabis. Quod te facturum certò confido: cum sciam, difficillimam esse societatem severitatis cum summa humanitate tua. Vale!

XLII.

Flagrat in literis meis desiderium vinorum tuorum, quæ veterrima & suavissima plenis ad me Oenophoris mittere solebas. Missionem jam diu intermissam non ita interpretor, ut decedere aliquid amicitiae nostrae ex procrastinatione liberalitatis tuae existimem: Cum sciam, habenas amicitiae laxissimas esse, quas vel adducas, cum velis, vel remittas. Vetus illa lex veræ amicitiae est, ut ipsi amici propter se ipsos amentur, etiam si omnium utilitas cesset aut desinat. Superio-

rioribus

rioribus igitur literis non remissionem affectus, sed tui defectum vinum questus sum. Quod profectò vinum avidè expectavi, quasi diuturnam sitim explere cupiens. Itaq; non est, cur me de fide & integritate amicitiae securum reddas. Nam ex meo amore tuum aestimo. Nemo autem verius de amici affectu iudicat, quam qui de suo conjecturam facit. Vale!

XLIII.

Non mediocrem voluptatem ex literis tuis capio, praesertim ex iis, quæ nihil contentionis & stomachi habent. Tales esse oportebat nuper scriptas. Sed in iis à consuetudine antiquæ & vernaculae festivitatis penitus recessisti. Exardescis enim gravissima querela & atrocissima suspicione, quam de fratre patru-
ele meo & non obscure de me ipso habes. De meo erga te animo nunc nihil oportet dicere. Quod ad patru-
elem meum attinet, non dubitavi,

tavi, literas acerbissimas, quas ad illū exarasti, retinere atq; suppressere: ne amicum summa amoris conspiratione tecum consentientem ab amicitia tua avellerem atq; abstraherē. Fuit autem illi cum fratre tuo nulla dimicatio, ut scribis, ac ne contentio quidem ulla. Sed pecuniam sibi jam diu debitam ab illo amicē sanē exegit. Et vide, quā in hoc quoq; te amarit. Quia frater tuus solutionem in adventum ejus, & cum venisset, in aliud & rursus in aliud tempus differebat, patruelis meus, si lege agere voluisset, jus suum facile consequi poterat. Sed amore tui noluit summo jure cum ipso agere. Maluit petitoris personam sumere, accusatoris deponere. Judicabis ergo pro singulari æquitate animi tui, utrū hac moderatione iracundiam & stomachum, an laudem potius & amorem tuum meruerit. Illi certē commodum pecuniarium nullum tantū est,

est, ut cum periculo offensionis à tuis exigendum putet. Sed hæc pluribus defendere non oportet. Tu, remelius perspecta, literas, quas in posterum ad me dabis, usitata jucunditate imbues, constantiamq; amoris, quò me diligis, etiam in necessarios meos extends. vale.

XLIV.

TU quidem nimium mihi tribuis, dum mihi, tanquam homini docto & erudito, fortasse curioso & rerum novarum cupido, autoritatem concedis judicandi de doctissimis scriptis tuis, eamq; potestatem das, ut ea possim Censoria gravitate vel probare, vel oppugnare atq; evertere. Atq; ideo epistolā tuā eò brevior & , ut adversus Censorem & magistrum morum, modestior. Agnosco affectum benevolum: & de libris ipsis, quos factos tectos accipi, multas gratias ago. Nunc tamen soliti procuratio muneris tot me negotiis

gotiis implicatum & constrictum tenet, ut libros missos nondum potuerim inspicere, nedum legere: Etsi hic homo avidissimus est, tua non solum legendi, sed & fruendi iisdem. Verum eam observantiam & venerationem scriptis tuis debeo, ut nisi libero atq; otioso animo ea legere, crimen putem, pro quo expiatio debeat. Ceteroquin recensionis tuae non modo non laudator, sed ne probator quidem sum. Nam primo curae ipsius rei nativus quidam color & nitor est, quem cura nimia deterit magis, quam emendat: Deinde hic labor non necessarius moram & impedimentem affert, ut de primis auxiliis nec novum opus inchoare, nec quod inchoatum est, possimus absolute. Vale!

XLV.

MOS antiquus hortatur, ut tibi diem natalem, quem nunc optinor undequinquagesimum agis, festum

stum atq; felicem esse cupiam. Nam etsi scio, fieri nullo modo posse, ut ullus redeat cujusquam dies natalis, aut verè is sit dies saepius, qui semel fuit, ac ne ejusmodi quidem, nisi cum ad eundem locum, unde semel profecta sunt cuncta astra redierint, eandemque totius coeli descriptionem longis intervallis retulerint. Quia tamen ita habetur, & mos est ita faciendi, promptus fautor & adjutor laetitiae anniversariae, votum meum insinuo: Deumque rogo, ut hunc diem, siue is verè tuus natalis sit, siue pro eo habeatur, per infinitos annorum recursus numerosissimum esse jubeat. Sed in hoc quoque retinere morem antiquum debeo, ut tibi levidense munusculum mittam, teque eo mihi (nocti solennem phrasin) arctius constringam atque devinciam. Tu assimilatum natalis tui reditum verè tuum ad nos reversione aliquando mitigabis, & interea loci acceptio-

nis

nis liberalitate, donationis nostræ
parsimoniam excusabis. Vale!

XLV.

Non pateris, Patrone, ut anxio &
solicito animo à te petam, quod
sponte tribuis. Quapropter sum-
mam desiderii more meo nunc bre-
viter exponam. Obrepsit dies, ut
vides, quo sequi Principem longulo
sanè itinere debeo. Quod etsi quo-
vis alio tempore egregia animi ala-
crite facturus eram: Nunc tamen
is tibi non ignotus morbus aut im-
pediet profectioem meam, aut cer-
tè tardabit. Hoc si apud alium ex-
cusandum esset, possem ab illo va-
cationem muneris petere: possem,
ut cessationi meæ ignosceret, postu-
lare. Tibi tantum rem ipsam indi-
co: quia scio, te mihi eam veniam
statim daturum, etiamsi nullus po-
stulem. Dabunt Dii auspices salutis
ut pristinae compos sanitatis hoc in-
pedimentum diligentia & industria
mea

mea superem, & vos in media via
assequar. Vale!

XLVII.

Soleo de necessariorum meorum
fama non minus sollicitus esse,
quam de mea. Nullam autem neq;
iustiore, neq; gravioem causam
necessitudinis esse arbitror, quam
conjunctionem sortis, quam officii,
quam publicam muneris societatem.
Quapropter non potui non graviter
molesteq; ferre, quòd, nescio quo
pactò, & casu nescio quò, cum Co-
mite meo in gladiatorium vitæ cer-
tamen descenderis, quod ferro de-
cernetur. Conditio certè tua con-
tentionem cum illis, à quibus auxili-
um speras, nullam patitur: & ne fiat,
vehementer cavere debes. Etsi au-
tem rumorem istum falsum esse pu-
to aut certè spero, quia adhuc sine
autore est; non tamen possum, quin
te paucis nunc hortor, ne unquam
tale aliquod facinus in te admittas;
Sed

Sed potius operam des, quantam potes, ut cæteris tuis laudibus etiam titulum modesti & pacifici civis adjicias. Grave enim foret pietati meæ intelligere, veterem amicum tam negligentem fuisse famæ & existimationis, addo, fortunarum suarum omnium; Cujus ego famæ & fortunis omnibus tam anxie metuerim. Vale!

XLIX.

ET vicinitas mihi tecum & usque quondam magnus fuit. Quæ duobus me sæpius monuerunt, ut tibi literas mitterem, quibus te de rebus omnibus, quæ te absente apud nos gesta sunt, certiore redderem. Sed paucis illuc proficiscentibus fidam occasionem mittendi adhuc raram habui. Hæc sanè causa fuit tardioris officii. Quam si æqui bonique facies operam dabis, ut literæ, quas de omnibus minimis, maximis, ex debito

pro-

promissoque; mittes, fida occasione ad me perveniant. Vale!

XLIX.

A Micitiæ varius & multiplex usus est, sed hic præcipuus, ut amicorum causa honesta faciamus, honesta ab amicis exigamus. Cum igitur ego partes amantis proximam scriptione impleverim, restat, ut vicem delati sermonis à te petam. Itaque pariter ista ad testificationem amoris mei scribo, & ut exemplo repetiti officii te ad representationem duplicis gratiæ impellam. Quod quia tua sponte præstiturus es, pluribus flagitare non debeo. Facilius quippe est, currentem incitare, quam commovere, ut dicunt, languentem. Vale!

L.

QVod nuptialibus amici reconciliati votis interfuisti, nemo non valde probavit. Nam cum omnis amicitia familiaribus officiis tuenda est,

est, tum ea maximè, quæ ex inimicitia in gratiam revocata est. Quæ officia mea fuerunt, omnia ei præstiti: planè tanquam si unus essem ex iis, qui illius sub imperio versantur. Neq; id ideò feci, ut gloriolam officiofranimi mihi compararem; Sed ut me necessitatis humanæ non inmemorem ostendere m. Quid enim tam aptum est naturæ, quid tam conveniens ad res secundas vel adversas, quàm alteri tribuere, quod tuis quandoq;ve usibus rependi cupias. Vale!

LI.

CUM cogito, in quo motu temporum, quanta in confusione rerum & perturbatione verseremini, procul à patria sedem omnium rerum & fortunarum mearum me collocasse, gaudeo: Cum suavissimam consuetudinem tuam, in quam me penitus immerferam, recordor, absentiam meam, pro eo ac debeo, graviter

fano

fanè molesteq; fero. Magnum solatium est, quòd literas didici, quarum beneficio tecum sapissimè colloquor & eundem penè fructum, quem si coràm essem, ex amicitia nostra consequor. Has breves nunc ideò ad te mitto, ut desiderijs communis amici satisfaciam & calamituum novi stimulo officii ad reddendam vicem excitem. Non pigebit te in isto otio tuo uberiùs & sapiùs ad me scribere, cum scias, quantam voluptatem soleam ex quavis pagina, prosperitatis tuæ indice, capere. Vale.

LII.

Patronum tuum antea solummodo reverebar & colebam, eo ferè animo, quo viros optimates & dignitate antecedentes solemus. Nulla illi re obstrictus eram. Nec enim mihi, ut beneficio ipsius uterer, usu venerat. Et contra ille mihi non nihil debebat, quòd filios ejus,

H

cum

cum operâ non possem, consilio meo
 sæpè iuveram. Quod consilium si
 non fuit prudentissimum, at certè
 ab optima fide & optimo animo pro-
 fectum est. Nunc magno ejus meri-
 to magnoq; beneficio sum obliga-
 tus, quòd uno tempore simul utili-
 tatem tuam & commoda mea re-
 spexit. Quamobrem & tibi gratulor
 & de fortunis meis lator: teq;
 mihi vicissim gratulari, quàm com-
 mendationi meæ gratias agere, ma-
 lo. Quippe hoc frustra ac sine caus-
 sa: Illud non immeritò feceris. Nam
 officia mea, si qua sunt, tibi ex debi-
 to præstiti: Beneficia illius mihi præ-
 ter expectationem omnem accide-
 runt. Quod superest, quando tibi
 virtus tua & benignitas patroni hunc
 aditum ad honores aperuit, est pru-
 dentie tuæ, desiderium terræ altri-
 cis tuorumq; è memoria deponere:
 eamq; patriam putare, quæ sedem
 tibi stabilem & dotacilium certum
 præ-

præbuit. Pro hac mori, huic te to-
 tum dedere, in hac tua omnia pone-
 re & quasi consecrare debes. Vives
 hic nobiscum, vives cum benefacto-
 ribus, vives etiam quòdammodo cum
 tuis: quibuscum per literas sæpissimè
 colloqui & tua omnia communicare
 potes. Ita neq; veterum bonorum
 facile oblivisceris, & præsentium
 utiliter recordaberis. Vale.

LIII.

Redit ad te procurator tuus, post
 annuam sollicitationem vixdum
 optatis potitus; Etsi toto illo tempo-
 re nihil reliqui fecit, quò minus sum-
 mos, medios, infimos oraret, ut de
 tua causa cognoscerent, statuerent,
 judicarent. Ille igitur, si causam
 retardati processus quæris, extra
 omnem culpam causamq; est. Diffi-
 cile est in tanta multitudine varia-
 teq; negotiorum iudicium adipisci:
 difficilius, ex æquo & bono, non ex
 callido vel futoq; jure, rem iudicari.

Adeo si hæc omnia tecum diligenter
 expendes, homo navus & industrius
 tibi & citò revertisse & negotia tua
 non pessimè explicasse, videbitur.
 Sed hoc pluribus argumentis defen-
 dere non debeo; cum ea sis facilita-
 te, ut tuos libenter audias; ea porro
 prudentia, ut recta ac prava facile
 didices atq; distingvas. Illud à te
 impensius rogare convenit, ut mihi
 honorem literarum tuarum frequen-
 tem habeas, tibiq; persvadeas, nihil
 quicquam mihi optatius fore, quam
 rebus, quibus potero, omnibus sa-
 tis nostræ conjunctioni amoriq; ser-
 cere. vale!

LIV.

OMnino, si quæris, occupatio me
 pulcherrima est, sed non tui iusto
 machi. Ferrum, quod hic è ter-
 cavernis eruitur, arte nova tam mol-
 le, tam tenerum, tam flexibile facio
 ut hinc omnia, quæ lubeat, nulli
 negotio effingas atq; efficias: idem

si opus sit, vicissim tam durum, tam
 firmum & solidum reddo, ut ad om-
 nia ferramenta vulnifica & instru-
 menta duelli aptum sit, chalibisq;
 omnem usum tibi utilitatemq; re-
 præsentet. Scio, has occupationes
 meas tibi non probari; Sed ne mihi
 quidem placerent, si omne meum
 tempus exigerent. Quapropter ne
 me planè ferum & ferreum arbitre-
 ris, committo censuræ tuæ libellum
 lucubrationum mearum indicem:
 quem nuper secunda judicantium
 suffragia multis punctis extulerunt.
 Quod non idè adscribo, ut hoc
 quasi præjudicio severitatem exami-
 nis tui effugiam. Sed dissimulare
 non debeo, quod mihi apud alios
 prosperè evenisse lætor. Interim in
 manu tua est, quàm velis nos obliga-
 re, id est, meritòne styli nostri, an
 doctissimorum hominum sententia
 scriptum istud censere. Dum hoc
 memineris, non hic meam magis,
 quam

quàm fautorum meorum existimationem agi. Nam si contrā, quàm alii censuerunt, judicaveris, ego infelicitati id meæ: illi suo dedecori & ignominiaē adscribent. Vale.

LV

EX literis tuis plenus sum expectatione de Macedone nostro, quo affectu animi commoda mea vel juvare velit vel impedire. Dono ipsi pulcherrimos libros misi, adjecto officio epistolæ multis & supplicibus verbis scriptæ: ut gratiam ejus, quam pretio mihi comparare non possum, judicio delectuq; verborum eblandiar. Quod apud cæteros superest difficultatis vel negotii, DEO juvante sine labore explicabo. Minus enim timendi sunt, qui & causam, cur mihi noceant, nullam habent, & nullo emolumento facile impelluntur in fraudem: cum ille sæpè parvo. Vale.

LVI.

LVI.

Festinatio presentis epistolæ tibi argumento erit, me occupatissimum esse. Nam nunc quidem, quæ scriberem, satis multa erant: plura expectabantur. Quippe tabellarius Hamburgensis, cum ista scriberem, nondum venerat. Si Rex oratores Belgicos benignè admiserit, spes quædam pacis ostenditur: Sin ipsis tantis de rebus responsum nullum dederit, ut quidam ariolantur, belli inexplicabilis metus. Sed hoc velim tecum consideres, in quem bellatorem Respublica ista incidit? quàm prudentem quàm vigilantem quàm properantem festinantem quæ? Quod si neminem ex iis, qui sponte in deditioem venerunt, læserit: nec cuiquam quicquam ademerit, ab iis ipsis, qui illum maximè timent, amabitur. Sed vereor, ut humanitas illa, qua deditiis omnia concedit, quæ petunt, & vicissim ab iisdem impetrat,

H 4

trat,

trat, quæ vult, perpetua sit. Jam enim rationes pecuniæ conficiendæ ineuntur, ut & optimè meritis militibus stipendia & amicis promissa solvantur: quod fieri sine tributo posse non arbitror. Sed hoc simul atq; à libris his populis paulò intolerabilius exigetur, rem mirificè conversam videris. Regem, quem nunc ut clementem & benignum sponte sua recipiunt, malè odisse incipient: Hos amabunt optabuntq;, quos nunc tædio præteritorum non solum deserunt & reliquunt, sed etiam produnt. Id quantis suis peccatis vitiisq; evenerit, utriq; & desertores & deserti non sine magno suo damno tandem intelligent. De prælio navali nihil adhuc certi est. De armatura Turcica, quæ petii, diligenter velim exquiras, ad meq; perferbas. Vale!

LVII.

Vehementer cupiebam tuarum solennitatum interesse & præfens videre nobilissimam par amatorum charo amoris vinculo conjungi. Sed impedimentum gravius obstitit votis meis. Nam cum jam essem in eo, ut me in viam darem, profecturus ad te magnis itineribus, ne qua in re impediret atq; alligarer; ex improvise mihi obrepit dolor pedis unius, qui me duodecimum jam diem in lecto tenuit. Abs te igitur peto, ut & præteritis ignoscas, & proximè futuris natalitiis filii, qui animi & corporis paterni imaginem repræsentet, me adesse haud gravatè velis. Spondeo amicitia tuæ numisma ex auro cusum animi gratitesseram: & vultum per multos dies hilarem ac lætum, voluntatis meæ ad omnia, quæ tibi vicissim grata esse poterunt, paratissimæ pignus. Vale!

Nati sumus ad societatem communi

LVIII.

H 5

muni

munitatemq; humani generis : quæ societas mutuis & paribus officiis optimè continetur conservaturq;ve. Itaq; & amicis , quibuscunq; rebus possumus , commodare , & debitum in loco retribuere convenit. Ego rebus tuis difficillimis , quoad facultates meæ patiebantur , libenter adfui , & tu spem promptæ satisfactionis mihi longo tempore fecisti. Nunc præter expectationem meam denuò prolationem diei postulas & diuturnam quodammodo minaris debitio- nem. Quæ enim est expectatio? aut quæ dilatio temporis? si pecunia , ut scribis , parata est. Ego tamen fidem tuam secutus expectabo diem , ad quam polliceris : neq; debi- tum vehementius exigam. Sed ta- men erit mihi gratum , si ante diem illum solveris , quod jam pridem de- bes. Vale!

LIX.

QVod res urbanas raro & statis
tan-

tantum temporibus ad te scribo , amicitiaæ stabilis & officiosæ signum est : cujus fructus & utilitas instauratione post intervallum cultu ostenditur. Nam & vera amicitia remissior esse debet & liberior , & rursus ad omnem occasionem paratior. Itaque cum tu quoq; rogas , ut in bonam partem accipiam , quod de actis tuis ad me longo tempore nihil scripsisti , ego verò in optimam. Sed hæc non ideo benigne interpretor , ut iudicii mei securus cultum nostri diutius negligas ; Sed ut exemplo meo repetitis ex intervallo officiis penses , quod neglectum est. Sed & hoc velim cogites , longè jucundior esse gratiam , quæ assiduitate comparatur , quam veniam , quæ inter- missioni officii conceditur. Vale.

LX.

ASumo te in consilium studio-
rum meorum. Lege , si vacas
animo & nihil habes , quod potius
agas,

H 6

agas, epigramma nostrum : Cujus scribendi hæc occasio fuit. Gvarinus, poëtarum sui seculi longè princeps, poëma fecit ita festivum, ita concinnum, ita elegans, nihil ut fieri possit argutius. Id homo Gallus totidem penè verbis in idioma suum vertit : sed adeò ineptè & incienter, ut nihil minùs, quàm sensum auctoris reddidisse videatur. Quæ versio cum in manus meas venisset, molestè sanè tuli; Divinum istud opus ita esse deturpatum, ut non cognoscas, idem esse. Exarsigitur non solum præsentia rancia; sed postea quoq; dolorem meum epigrammate isto expressi. Quod eò confidentius ad te mitto, quòd priora tibi non ingrata fuisse dudum significasti. Nunc tuarum partium erit judicare, an tantum licere imperitæ debeat temeritati, ut elegantissimum quemq; scriptorem interpretatione sua deturpet atq; devemuset. Mihi certè vitio

verti

verti non potest, quòd in stomacho liberius risi. Vale.

De Pastore Fido Gallicè verso ad Lectorem.

Quid refugis blandos Fidi Pastoris amores?

Si nescis, magni est nobile vatis opus.

At malus interpret veteri decus omne labori

Abstulit: Esse neges, quod fuit ante,
metrum

Sic generosus equus, cursu contendere sventus,

In segnem versus turpiter est asinum.

LXI.

Initium mutæ congratulationis prior, ut par erat, facere debuisti: cum tibi & de honore accepto pridem indicarim & ista dignitate & amplitudine auctus ultra mea omnia detulerim. Verùm quia tua vel indiligentia vel occupatio cultum debitum dissimulavit, ipse religiosi officii auspiciam facio, tibiq; in primis gratulor, quòd te magistratu abeun-

H 7

tem

tem summa laus & summa gratia bonorum omnium profecuta est. Cæterum ex assiduitate vel raritate literarum, quas in posterum ad me dabis, conjecturam faciam, utrum sponte auspiciando officio, an coactus & necessàriò defueris. Vale.

LXII.

AMicitia ea vis est, ut simulatq; sibi aliquid, quàm alteri maluerit, illicò vana aut nulla existimanda sit. Fit tamen, nescio quomodo, ut tibi tanto amico & cui omnia cupio, non nihil inuideam. Amoribus ac deliciis nostris jam diu solus frueris. Planius dicam: Urbe relicta cum hero communi in agris, ubi nos solebamus, te recreas, cum illo solus rusticaris, cum illo omnium rerum societatem habes. Nihil dico amplius: tantum dico, te possidere felicitatem, qua ego, qua cæteri domesticis, qua omnes agrè caremus. Est enim Hornius noster unus in toto or-

to orbe terrarum suis ex animo amicus vereq; benivulus, unus omnium amore & cultu dignissimus. Itaq; vobis quidem rusticatio vestra mutua delectationem præbet: Mihi quid jucunditatis esse potest? Quem & optimus herus procul à sua consuetudine & convictu abesse voluit, & tu nunc minus diliges: quia illum, ut debes, solum amas. Vale.

LXIII.

Mihi quidem pergratum perq; jucundum est, quod mihi amorem & benivolentiam multorum concilias & ad usus meos adjungis. Sed Hegius noster jam diu magnus meus amicus est & tanquam alter idem. Omnino hic meminisse debebas id, quod à doctis sapissimè usurpatur jamq; proverbii locum obtinet: actū ne agas. Nisi tamen utriusq; nostrum magni interest, ut me ipsum mihi commendes. Quin tu quemvis potius alium in amorem & consuetudinem

dinem nostram insinua, quicum nulla mihi notitia, usus nullus intercedat: Si tamen in tanta bonorum virorum inopia sive plures sive aliquem unum pari virtute præditum reperias. Illos demum amore & benivolentia mecum rectè conjunxeris, quos antè amicos non habui: quos jam habeo, eos mihi laudare potes, commendare non item. Vale.

LXIV.

Idibus manè tuas expectatissimas literas accepi: ex quibus, ubi esses & quid ageres, peroptatò cognovi. Ad quos autem dies rediturus sis, ex iisdem literis minùs intellexi, quia promittis quidem, sed nihil tamen certi constituis. Itaq; lentus fortasse adventus tuus, sed tamen est in spe. Affirmo tibi, eum mihi non minori solatio fore, quàm discessus mœcerori fuit. Nam quamvis omnium mentes improborum nobis unis maximè sint infensæ & adversæ; ta-

men

men aut tu mihi poteris, aut ego tibi fortasse non ulla in re adjumento esse. Te igitur tantò magis expecto, & oro, ut matures venire. Præstabit celeritas accessus tui, ne sit mihi necesse, idem sæpius orare. Vale.

LXV.

Oportet te animi mei securum esse, qui accubationi epulari, ad quam te amantissimè invitavi, intèr esse noluisse. Scilicet non ignoras, ejusmodi culpam tibi sine pœna talionis, sine periculo fore: quòd ego convictu tuo ægrè careo. Itaq; spes impunitatis apud te maxima est illibera peccandi. Sæpè quidem te verbis terrui & perpetuam absentiam denunciavi, si convivis nostris abstinuisses: sed vincit hunc animum affectio iracundiamq; cohibet, ut non tantum rogatus libenter apud te cœnem, sed tibi etiam ultrò condecam. Hinc conicere potes, quàm

firmo

firmitate te diligam, qui tam instabili iracundia oderim. Vale.

LXVI.

CUM diu nullas à me literas acceperis, ita velim cogites, nihil me vacui, & otiosi temporis habere: cum interdum; admodum paululum. Adde in extrema parte & conclusione muneris occupatissimus sum: Idcirco hyeme summa, tempestate perfrigida, nivibus maximis. Quo fit, ut & sanitatem agrè tuear & negotia difficulter expediam. Dices, quando meum negotium ages? mane: aliquando etiam tuum negotium agere licebit, cum nempe aut publicum confecerò, aut meum deposuero. Nec enim committam, ut aut expectationi vestræ, aut officio meo defuisse videar: præsertim cum ex negotio suscepto non nihil gratiæ, ex confecto aliquid etiã laudis & commendationis sim consecuturus. De reliquo faciam, ut mones: omnique

ope

ope & opera conitar, ne quem optimum offendam, atque si fieri possit, etiam ab iis ipsis, qui nunc commotis meis adversantur, promovear: à fautoribus autem dignitatis meæ quotidiè magis ac magis diligar. vale.

LXVII.

DIFFICILE est ea, quæ naturâ diversa sunt, voluntate conjungere. In rem præsentem ista spectant. Duo inter se maximè diversa à me petitis. Unum est, ut ad vos primo quoque tempore veniam: alterum, ut negotia vestra hic expediam atque conficiam, Has tam dissimiles res non tantum uno voto: quod facilius paterer; sed etiam una necessitate conjungitis. Quod nullo pacto potest. Alterum enim fieri oportet, ut aut mandata vestra exequi, aut hinc discedere omittam. Quorum alterum cum sine damno vestro non possim alterum faciam necesse est. Vestrum erit, deinceps vel nihil nominatim

man-

mandare, vosq; totis meo amori fideiq; committere: vel ea jubere, quæ & sine periculo vestro & sine probro atque dedecore meo præstare queam. Valete.

LXIII.

EXoptatissimæ literæ tuæ sollicitum me de subito tuo discessu & profectioe præcipiti magna cura levarunt. Quippe incertus animi tui consiliiq; verebar, ne quid gravius de salute & incolumitate tua consuleres. Nunc ubi certior factus sum, rem istam nondum ad manus venisse, & omnia utriq; facienda, ne armis decernatur, sollicitudo in gaudium versa est. Præstabit cœli benignitas, ut, sicut læta de profectioe tua cognovimus, item optata de reditu audiamus. Vale.

LXIX.

Nunquam credidi, fore facile, ut, postea quàm ad exercitum atq; in militiæ disciplinam profectus es, cum

cum veteribus amicis, h. e. cum libris tuis in gratiam redires. Videtur enim ætas ista proclivior ad arma & castra, quàm ad literas & Musæum esse. Sed tu novo more ambo studia inter se paria & ejusdem sociæ dignitatis constituisti. De altero elegantissima epistola tua, de altero multa à te de omni ratione belli scienter disputata, multa prudenter prævisâ fidem faciunt. Itaq; Apollinem & Martem sectatus, cultor utriusq; ab utroq; præmia, ab illo fructum studiorum tuorum, ab hoc mercedem periculorum expectas. Et quamvis magis te, ut scribis, belli administrandi scientia, quàm dicendi facultas, sollicitet: fecilius tamen, nescio an & facilius, de literis, quàm de bello triumphabis. Est enim isdemum, mea sententia, verus ac justus triumphus, quem de multorum salute, non quem de aliorum perniciæ agimus. Vale.

LXX.

PAlam exultare & triumphare gaudio coepi, postquam serenissimus Rex, liberalissimum suum erga te animum secutus, te in cohortem amicorum recepit. Sed gratulationem meam, quam copiosissimam esse decebat, nunc verbo tantum inuuisse sufficiat. Prolixior in secundis literis ero, cum tibi omnem causam gestientis letitiae fusius ac plenius exponam. Nunc enim aliud ad scribendum argumentum subministratur. Bergius, homo mei ordinis ac loci, admirator virtutum tuarum, ad te proficiscitur, ut tibi de honore accepto indicet & coram gratuletur, Qui etsi ingenio suo satis confidit; tamen existimat, mea commendatione aliquid accessionis fore. Ego literis meis scio favori, quo illum tua humanitas susceptura est, nihil accessurum: decessurum aliquid officio meo, si tantillam illi operam

operam a me postulanti recusam, Ipsi igitur tantummodo aditum ad cognitionem tuam patefacio. Tu tamen hoc nostro amori & observantiae novi clientis dabis, ut praeter eum fructum, quem ex tuo conspectu congressuque percipiet, suscepti itineris non inopem gratiam apud te ineat. Vale.

LXXI.

SCio, te bonorum ferramentorum studiosum esse. Sed gladios, quos in usum tuum fabricatus sum, mittere hucusque non libuit, ne simul te tristi de me nuncio percellerem. Quippe veteri morbo levatus, cum huc venissem, in eum de integro incidere, graviusque ac diutius aegrotavi. Hinc factum est, ut destinatum munus liberalitastua missa sportula praevenerit. Nunc postquam me DEus benignè respexit, & mihi corpus & vires restituit: nam utrumque amiseram; diutius differre officium non

non debui. Accipe igitur munusculum, serum quidem ac tenue; sed usui tuo. immò & necessitatibus vitæ maximè conveniens. Quid enim (cum Cicerone loquor) tam necessarium, quam optima semper teneri arma, quibus vel tectus ipse esse possis, vel provocare improbos, vel te ulcisci laceffitus? Vale.

LXXII,

NEgo, tenui & vulgari victu, inest, contemptissimis escis & portionibus, eandem voluptatem percipi, quam rebus exquisitissimis ac epulandum. Vides, me hoc idè præferri, ut me spolia nemorum tuorum, unà cum elegantissimis literis accepisse intelligas. Amici aliquot conveneramus, ut cœnaremus unà, non modò non contra legem, sed etiam intra legem, & quidem aliquantò. Sol, jam à diurno labore devexus ad ocium, nos curam di corporis admonebat, Mensa quo-

tidia

tidianis & communibus escis extruebatur. Ubi lavare manus cœpimus, accurrit servulus meus, & simul eum adducit, qui sylvestre munus exhibuit. Quod statim apparari apponit; jussi: Ut reliquarum esset potiùs aliquid, quam aliquem ex commensatoribus paterer non faciatum discedere. Itaq; opiparè tunc quidem & hilarem in modum epulati sumus, tibiq; in vicem gratæ recordationis ad pocula, quæ fortè suppetebant, sæpius benediximus. Juvit enim indulgere genio, postquam valetudinis tuæ vigor ira cœpit assurgere, ut agitare in venatu feras & hybernis mensibus sylvarum tuarum gelida lustrare potueris. Habes omnem rem, quam te scire volui. Tu curabis, ut magis magisq; valeas, & sicut absentes conquisitissimis epulis, ita præsentibus exoptatissimo tuo conspectu quam primùm exsatures.

Vale,

I

LXXIII

In natam tibi bonitatem non necessaria sollicitatione præverto. Patere, ei voluntati, quam erga Nolum habes, aliquam precibus meæ accessionem fieri. Audio, malevolentia quorundam id agi, ut honestissimus juvenis tibi nomine negligentiae suspectus fiat. At ille tantum antè diligentia fuit, tantumque evigilavit in studio, ut frenis egerit, non calcaribus. Eundem animum ad famulatum, in quem illum recepisti attulit. Spero, sui similem inventum iri, si quis acta illius penitus inspexerit. Non pugnant contra hæc progressus, quos filii tui in suis studiis fecerunt. Accedit ad ista quasi præjudicia intercessio mea: **Q**ui etsi confido, te illum porro pristino loco a numero habiturum, omni tamen studio à te, mi Patrone, contendo, ut in commodum ejus cedat interpositum suffragium, Vale,

LXXIV.

Placuisse tibi officia mea, non miror: cognovi enim te ante à quovis memorem & gratum. Nec tui mihi gratiam modò habuisti; sed nunc etiam cumulatissimè retulisti. Misisti enim elegantissimum libellum & gratiorem epistolam: Non quòd res nostras maximis laudibus ornas: Nam ne legere quidem sine pudore tam immodicum præconium sustinui; sed quia hanc scriptionem ab optimo animo & sincero affectu profectam libens amplector. Posthac tamen longè etiam mihi acceptior eris, si ostentandæ svavi tati sermonis Attici & Latini aliud argumentum sumas. Collocutus sum de postulatis tuis cum Antonio nostro: sed paucis. Non enim opus erat multis verbis: ne ego propter occupationes meas pluribus poteram. Pollicitus est omnia liberaliter & prolixè, Superest, ut in rem præsentem

I 2
venias

venias & amorem tui coram experiaris. Quod utinam facias brevi, quidem cum tota tua familia: Ut nobis caussa plenioris lætitiæ & nulli tibi sit festinandi reditus. Quod tibi demum fiet, si neminem tuorum dimi mi relinqvas, cujus desiderio celestiusculè eò recurras. Vale.

LXXV.

Rosenbergium nostrum, qui me tam & utilem operam mihi docendis pueris magnæ spei præbente jubente non modò in hospitium sed etiam in domesticum usum consuetudinem recepi. Nunc postquam vocatu Principis eodem cum laude revertitur, unde cum honoratis discesserat, commendationem, quam de te attulit, illi non gravatè reddi. Quod tibi non injucundum fore confido, cum me videas factum meum exemplo tuo defendere. Denique summa desiderii nostri huc spectat ut pro tuo erga illum amore &

odio efficias, ut illi non tantum integrum salarium persolvatur, sed impensæ quoq; in unctionem & reditio nem factæ reddantur. Facies, mi Seckendorfi, quod convenire censebis & meis & illius meritis: Et si quid petitioni nostræ putabis justitiæ deesse, concedes hoc æquitati. Vale.

LXXVI.

Celsitudini tuæ officia mea grata esse, immortaliter gaudeo, eaq; obsequiis, quibus potero, omnibus augere non desinam. Quod vel Rosenbergius meus non dissimulabit. Quem non sinerem sine mea commendatione abire, nisi tuo arcessitu jussuq; proficisceretur. Nunc, cum satis illi ad laudem & gloriam sit, à Celsitudine tua requiri atq; reposci, nullum de literis meis adjumentum sperat. Puto tamen decere me & convenire iis rebus, quas apud me gessit, ut Celsitudini tuæ maximas gratias pro tam bono & fideli colle-

ga & socio omnium laborum, habe
am. Nam confido futurum, ut du
plicata illum gratia suscipias, si scie
ris, Celsitudini tuæ pro ea ambos ob
strictos fore. DEUS Celsitudinem
tuam diutissimè seruet incolumem

LXXVII.

Non sum tam injustus rerum æstima
tor, ut tuum erga me anno
rem & studium frequentia salutatio
nis metiar. DEUS omnia sentiens
nobis nunquam non occurrit in pue
cibus, in optatis, in votis, quæ pro
nostra, quæ pro amicorum incolumi
tate animò quotidiè concipimus
quamvis illa per literas raro exprimi
mus. Liceat ergò nobis commo
dis & rationibus nostris servire, &
repetita ex intervallo religione de
bito necessitudinis satisfacere. Non
enim requirit pietas ostentationem
Tuas literas, nihil refert, an frequen
tes, an paucas, an singulas in anno ac
cipiam

Cipiam, modò latas & prosperitatis
tuæ indices. Vale.

LXXIIIX.

Memini, te justitiæ & æquitatis
amantem esse, & mea officia
complecti observantiamq; diligere.
Itaq; vereor, ne in periculosas con
tentiones cum inimicissimis meis ve
nias, tibiq; malum, quod vitare po
tes, ultro arcessas & attrahas. Sed
te rogo, ut te non profuturo certa
mine abstineas, spectatoremq; præ
beas otiosum calamitatis nostræ. Il
lud pugna & enitere, ut primo quoq;
tempore accitu Principis evocemur.
Spero enim, mihi non de fore copi
am afferendæ apud illum innocen
tiæ: cum illius præsertim gratia in
caussa fuerit, cur tenues alioguin res
meæ in summam invidiam adductæ
sint. Is scio, non feret, non patie
tur, non sinet, ut plus malevolorum
calliditas possit, quam veritas: Quæ
apud bonum Principem se contra
I 4 homi.

hominum ingenia & solertiam faciliè per se ipsa defendit. Vale.

LXXIX.

Post crebras postulationes tuas tibi artium liberalium magistrum; quem usibus subtraxi meis ut tuis consulerem. Sed si me audias, longè suburbanæ isti Scholæ Academiæ anteponas, filiumq; maturè iis disciplinis iisq; artibus informandum cures, quibus instruimur ad hunc usum forenses. Multa hic ex convictu doctorum virosum, multa ex publicis disputationibus discet: multa etiam dediscet, quæ rursus perperam didicit, præsertim in vita & moribus. Hoc meum iudicium est, quod te celatum nolui. Facies ipse, quod in rem tuam fore iudicaveris. Plura enim videt, qui coram de rerum differentiis cognoscit. Ego quod scribo, animi propensum votum est. Tu tecum loquere, te adhibe

in

in consilium, te audi, tibi obtempera & vale.

LXXX.

Quod ait Orator, do volentibus cum magnis Diis, id de munificentia tua iure meritoq; dixeris, Mæcenas benignissime: quando larga sæpè manu multa necessitati nostræ, nonnunquam etiam voluptati largiris. Veluti nunc, ut me in equestrem ordinem ac splendore affereres, egre-gium sanè equum donasti: dignum profecto domino opulentiore, & qui omnis pabuli affluentibus copiis abundet. Ego bestiam ferocitate exultantem, cum domi alere non possem, domitoribus tradidi, ut ea posthac faciliore fruar. Interim equo illo, quo consuevi, libentius utar, quam intractato & novo: Et si ob eandem penuriam frumentariam vix ossibus hæret. Accipio tamen, quod datur, & ad id, unde aliquis flatus ostenditur, libenter vela do.

I 5

Quia

Quin etiam necesse est cupere & optare, ut morem tuum serves & sapientissime aliquid dones: quò plures mihi quasi anfas præbeas ad gaudendum & ad agendum gratias. Quare propter cum Dei beneficio omnium rerum abundantibus copiis circumfluas, huic operi frequenter accingere, & in magnificentia liberalitatis persevera. Nihil enim tam præclarum est, nihil tam illustre, nihil tam magnificum, quam viros honestos & gratos multo suo sibi beneficio obstringere atque devincere. Vale.

LXXXI.

Dum amico roganti obsequi studio deo, scribendi impudentiam suscepi. Nosti eruditionem & doctrinam Bosii, multis magnisque rebus spectatam. Pro illo nec temerè aperte dicere oportet, nec imprudenter & invidiosè tacere. Quippe longior & accuratior commendatio præstari

ri incognitis debet: Huic satis erit ad comparationem benevolentia tua, quòd nulla utilitatis causa familiaritatem tecum jungere optat, & in meam se jam penitus immerfit. Peto igitur, ut amicitia fores ipsi benignè aperias, quò & res illius secundas consuetudine tua splendidiores facias, & tuas adversas, partiens communicansque leviores. Vale.

LXXXII.

Cupiditas scientia pariter cum ætate crescit. Hoc ita esse, non commemoratione antiquitatis, sed exemplo tuo ostendam. Homo id ætatis & ipse multum operæ literis navas, & alios auctoritate tua, ut idem faciant, incendis atque inflammas. Maximè autem his studiis, in quibus nos à pueritia viximus & ætatem consumimus, faves, & semper aut ipse scribis aliquid aut me vocas ad scribendum. Quare statim absoluto characterè hoc opusculum

exorsus sum: quod nunquam aggressus essem, invidiam & offensionem seculi veritus, nisi tuam defugere auctoritatem nefas esse duxissem. Sed rursus dico, & quam possum maxima asseveratione dico, me à te rogatum & reclamantem hæc scribere esse ausum, quæ nunc conor coactu atque efflagitatu tuo pertextere. Itaque ne sis nescius, in communi mecum atque eodem in periculo versaris. Nam si susceptum onus sustinere non potero, tibi iniqui oneris impositio, mihi susceptio vitio vertetur: Nisi tamen in hoc uno te ero felicior, quod damnum existimationis meæ obsequii gloria compensabit. Vale.

LXXXIII.

TE optimi cuiusque amicitiam expetere, non ambigo. Igitur tibi & antea multorum familiaritatem conciliaui, & nunc Calii nostri conjunctionem magnæ voluptati fore

res

re, confido. Homo enim tum studiis, cum moribus tibi similis non potest tibi non esse charissimus. Agnosces in eo mentem cuiuscunque fortunæ capacem: Etsi in eum Diu atque homines omnia ornamenta congesserunt. Planè ut jam tanto amico subinvideam, quod ultrò etiam arcessitus sit à Principe, ad cuius amicitiam multa magna ingenia propter turbam candidatorum aspirare non possunt. Quò magis æquum est, ut, quem principale suffragium præcipuo favore respexit, familiaritas tua non destituat. Vale.

LXXXIV.

SCripsit ad me frater, te proximè & paulò antè in urbe fuisse, & paucis interpositis diebus, te iterum retulisse ad herum: Quem suspicatur tardius rediturum, quam promiserat, quòd incommoda valetudine attinetur. Sperat tamen, ei jam melius esse aut brevi fore. Hoc interim

I 7

rim

rim spacio velim fabro tuo mandes
 ut mihi armamentarium pateat, non
 secus ac si ipse adesses. Est enim mi-
 hi opus forma acinacis, ad quā eum
 quem fabricari debeo, effingam. Si
 ex tanta copia eligam, qui maximē
 placuerit, eumque mihi proponam
 exemplar, præclarum opus efficiam
 necesse est. Tibi certē laborem me-
 um valde, ut spero, probabo. Ve-
 lim si quid fortē novi habeas, maxi-
 mē de itinere Cancellarii, deinde de
 reditu Primatis, & siquid forte de
 rebus Gallicis, (solent enim hæc om-
 nia diligenter ad vos perscribi) me
 per literas certiore facias: si nihil
 horum, attamen scribas. Sic enim
 habeto, nunquam tuas mihi literas
 aut molestas aut inanes videri. Cum
 primis autem peto, ut hero svadeas,
 ne nondum confirmata valetudine
 mare transmittat. Etsi scio, ne Re-
 gem quidem illud permissurum, pro-
 pinqvis nempe comitiis: Quibus
 illum

illum interesse & oportet & opus
 est. Vale.

LXXXV.

Liberaliter, ut soles, opus institu-
 tum misso fabro ferrario iuvisti:
 quem exhausto præcipuo labore ad
 te remisit. Adjeci, minorum opu-
 sculorum fabricator, gladiolos duos
 vagina adhuc vacuos, ut gratum ani-
 mum, quem debita remuneratione
 non possum, hoc saltem specimine
 futuri conatus, testarer. Quod su-
 perest operis, DEO iuvante sine mo-
 lestia peragetur. Minus enim labo-
 riosum est, quod sperati fructus
 spem proximam ostendit. Vale.

LXXXVI.

Literas à te adhuc nullas accepi.
 Mihi si ingenium & ocium, ut tu
 fortasse putas, non deest ad scriben-
 dum, argumentum certē deest. Nam
 nec, quid à te petam, habeo: omnia
 enim mandavi, antequam proficisce-
 rer: nec, quid indicem, suppetit:
 nihil

nihil enim adhuc in via accidit, quod te scire velle existimem. Hoc tamen scito, Regem hic duodecimum jam diem venatibus & aliis exercitationibus recreatum cras moturam esse Orebroam; ubi haud dubiè etiam aliquandiu subsistet & commorabitur. Eò igitur me literæ tuæ sequantur: quibus velim omnia nobis diligenter perscribas, non tantum quæ istic facta sunt, sed etiam, quæ futura esse suspicaris. Sed ut ego quoque debitam tuis rependere vicem queam, id ipsum præcipuè significes, quàm diu in urbe mansurus sis, ut sciam, ad quod tempus meas rectè mittere Holmiam possim: aut ubi posteaum ab urbe discessum futurus; ne frustra mittam. Vale.

LXXXVII.

AMicus noster multa de nocte se à curia subtraxit. Regina nihil adhuc de consilio ejus suspicari potuit, Tanto facilius elapsus est. Mandave-

daverat mihi, ut antè, quàm luceret, sequerer, & nunquid curiæ suboluisset, indicarem. Quod feci, magis id adeò, ut morem illi gererem, quàm ut quid opus esse præsentia mea, putarem. Nunc hic fortasse frustra expectabimus, neque herclè quid porro simus acturi, scimus. Atte igitur aliquid faciendi vel non faciendi excogitatam rationem expectamus: si quid tamen habes, quod rectè fradeas. Comes quid causæ dicturus sit, cur tam subito proficisci velit, non video. Si re tota patefacta remanere cogitur, utique, & nos revertemur: sin amicis verba dat & aliquo pacto evadit, deliberabimus, an hic illi præstolari, an obviam ire, satius sit. Adhuc meus nisi omnia me fallunt, rectè omnia & cautè. Tu, si quid erit, quod nos scire oporteat, celeriter significabis. Vale.

LXXXIIX.

AD quas literas tibi responderi velis,

velis, nescio: adhuc enim has primas à te accepi. **Q**ueri igitur non potes de negligentia mea, cum te prius volumina mea opprefferint, quam tu ad me hanc schidulam misisti. Nec indignè feres, si sequar exemplum, quod dedisti: id est, si in posterum more tuo breuiter, quid de quaque re sentiam, significem. **Q**ui enim possum de rebus omnibus late fuisse dicere, si nullo me fructu prolixè & benefici sermonis animaueris. Vale.

LXXXIX.

Quòd hero nunc paulò commodiore uteris, est gratum. Tu hoc meæ commendationi tribuis: sed cur idem non tibi potius imputas? In tua enim manu est, qualem illum esse velis. Si fidelem & diligentem rebus ejus operam dabis, vel potius in iisdem omnem cogitationem curamque pones, non dubito, quin illum vicissim habiturus sis & largum & beneficum & liberalem patro-

patronum. Itaque tua ipsius commoda promovebis, si negotia ejus non negligenter ages. Est ætas ista cuiusvis laboris patiens. Ergo & actionibus honestis & functionibus etiam gravioris operis & muneris excoli, & ad scientiam rerum agendarum concipiendam imbui atque præparari debet. Si quod interdum datur otiosum, id studiis & legendis bonis autoribus oblecta. Fuge autem commercium otiosorum hominum: cum quibus nulla societas, pactio nulla periculosa & ancipitis facinoris foedere ullo firmari potest. Discernere oportet, ut inter verum & falsum, sic inter bonos & pravos. Tu veteram gloriam sectare, qui est fructus justæ occupationis honestissimus. Hoc si feceris, non deerit fortuna: sin seculi, & ego te frustra commendavero, & tu operam meam posthac nequicquam imploraveris. Sed spero te talem futurum, qualem & voti nostri

nostri & felicitatis tuæ interest esse.
Vale.

XC.

AMicitia nisi inter bonos esse non potest. Nam quæ cum pravis societates jungitur, non amicitia illa, sed conjuratio putanda est. Hinc officii mei esse arbitror, optimum tibi quemq; conciliare: Voti, tum alios, tum Masium quoq; nostrum pari affectu à te suscipi ac diligi. Cognosces eum cum doctum, tum frugi hominem: plenum officii & humanitatis, studiosum etiam laudum nostrarum, &, ne in illo commendando multus sim, planè virum bonum. Ego, testimonio vitæ & morum illius, partes amantis erga utrumque implevi: Nunc tu illi parem affectionem, mihi partem jucunditatis, quam ex ejus consortio percipies, debes. Quæ duo ut solida fide præstare possis, Deorum favor & naturæ tuæ solertia efficiet. Vale.

XCI.

XCI.

DIem ex die expectamus, ut nunciatur, quid in commodum Belgii, immò totius Europæ effecerint illustrissimi pacis arbitri, deinde, quid Elector Septemvir Brandenburgicus acturus sit: quem ajunt paucis diebus firmum exercitum habiturum. Adventu Cæsariani exercitus plus credo, animi sumet ad audendum. Utinam autem contractis his viribus id agat, ut magis velle videatur prodesse patriæ, quam nocere hostibus. Foederati ordines Regi, cum Ultrajecti esset, per quatuor Legatos demissè sanè ac suppliciter significarunt, nihil ipsi negari, omniaq; quæ jure postulare possent, dari & cumulare. Fortè non imprudens fuerit, qui dixerit: at ego accipio: præsertim cum multa & magna postulari potuerint. Sunt casus, sunt incerti exitus pugnarum: est deniq; Fors domina campi & Mars belli communis,

qui

qui sæpè spoliantem jam & exultantem evertit & percudit ab abjecto. Hæc omnia si Principes verè secum voluissent expendere, pacificam etiam personam admisisse, nec in bellatore posuissent omnia. Nunc paucorū vel improbitate vel imprudentia tantum excitatum est incendium, ut totam Germaniam flagraturam bello intelligas. Rumor est, copias Cæsaris cum Electoris exercitu jam conjunctas esse; Thurenium intercludi posse, aut certè Galliam vastari: Idq; illum vereri, atq; hanc ob causam cum ea manu, quam secum habet, magnis itineribus pergere in Lotharingiam. Hæc metuo, ut sint politicorum judicia: porrò autem, ne delirantium somnia. Sed ea propediem omnia sciemus & scribemus ad te statim. Tu tantisper has conjecturas boni consules & bene valebis,

XCII.

XCII.

Absoluto carmine, quod sub manu est, nunq̄ promissi omne confecero. Quod carmen tibi profectò brevi effectum dabo, eandem incudem diem noctemq; tundens, donec aut tibi valdè arrideat, aut Aristarcho nostro vehementer displiceat. Sed quando tu quoq; fidem tuam liberabis? quando versus hexametros aliosq; quos variis modis & numeris fundis ex tempore, ad me mittes? quid taces? quid dissimulas? crede mihi, nunquam efficies odiosa ista tergiversatione, ut ad parem voluntatem me trahat imitatio. Quippe considero, non quid mihi necesse sit facere, sed quid gratum amicis meis fieri. Cumq; soleam officia mea penè dimidio carius æstimare, quam vendere; te tua casu sæpius, quam voluntate differre existimo. Sed ne immodica procrastinatio & tarditas, quamvis amoris tui securum & mini-

minimè suspiciosum, de contemptu suo cogat metuere, fac, quæso, te dextra in promissis & fide firma ostendas. Qua enim ratione cognoscam, te non fallere, si me semper spe & pollicitis tenes, nec unquam rem ipsam exhibes? Vale.

XCIII.

Bergium Excellentie tuæ charissimi filii eruditio, & omnis liberalis & digna homine illustri ab illo percepta doctrina commendat: mihi studium ejus & assiduitas, qua una virtute reliquæ virtutes omnes continentur. Igitur ab Excellentia tua pactam laboribus suis mercedem, à me literas precum socias petit. Ego committere non debeo, ut meo defuisse officio videar, cui hominis ornandi voluntas nunquam defuit. Atq; ideo Excellentiam tuam his literis demissè rogo, ut optatis benignè annuat & mutuam ipsi voluntatem præstet, Scit Excellentia

tia tua, mutuam voluntatem esse, cum par utilitas accipitur & redditur. Vale.

XCIV.

ET si spes est, te operam daturum, ut post peragracionem agrorum, post lustrationem prædiorum tuorum, ad quos dies confirmasti, te ad nos recipias, aut certè proximè urbem sis; tamen literis abstinere non debui, ne quod tempus sit, quo non curæ aliquid huic etiam cogitationi impertiam. Lege igitur amicam salutationem, & preces & vota de reditu tuo, quæ DEO verbis, tibi stylo largiter impendo: sed ea lege, ut debitam vicem mihi quamprimum voce rependas. Vale.

XCV.

Mihi quidem otium & voluntas non deest ad scribendum: Sed non debeo hilaritatem illam, quæ soles asperitatem temporum condire, moestis omnibus ad tristitiam con-

torquere. Quia tamen multa etiam perfert ipse rumor, & tristitia plerumque in majus nunciat, mittere visum literas seu relationes publicas: ex quibus animus quæ fugit scribere, ordine cognosces. Sic fiet, ut nequiflylus meus, qui fausta & læta afferre gessit, tristibus ac calamitosis affveicat: Et nihilo secius immoderatam famæ licentiam adjecti scripti veritas coerceat. Sed hæcenus de externis. Venio ad literas tuas, ex quibus intellexi, animum meum tibi perspectum esse circa curam valetudinis tuæ: cui, si me & tuos omnes valere vis, diligentissimè, mi Gustave fervies. Tueberis autem eam maxime noticia tui corporis & observatione earum rerum, quas aut profuisse tibi aut obfuisse, intellexeris. Illis, licet non nihil insit amari, liber ter uti: his, quamvis plena sint jucunditatis, non invito abstinere, convenerit. Nosti illud; valetudo confectavatu

vatur & salubri victu & prætermisissis voluptatibus. Expecto igitur, ut & hæc & alia fortè meliora, quæ tua tibi solertia suppeditat, valetudinem tuam ad pristinum vigorem promoveant. De quo si voto congruentia cognovero, agemus gratias fortunæ perpeffionique nostræ, quæ nos ad hanc experientiam excitavit. Vale.

XCVI.

Sapientissimi cujusque animus præfagit in posterum. Hinc multa divinitus præfensa & prædicta leguntur. Tu certè divina, quæ soles, præfagitione è longinquo vidisti omnem curam & sollicitudinem, quam nobis tristis de te fama incussit. Itaque ubi primum ægram manum admovere stylo potuisti, non distulisti mitigare literis, quæ nobis in majus nunciata credideras. Et veritus, ne prima epistola, tenuis & obscura nota valetudinis tuæ, metum nostrum non

non sedaret aut tolleret, nobis secunda scriptione securitatem præstitisti. Non est dubium: quin pariter prævideris, quia nunc læticia perfruamur, quibus gaudiis exultemus, quia in voluptate toti simus, postquam cognovimus, te minus periculosè ægrotasse, quàm ut erat vulgatum: & quod maximum est, te jam omni defunctum periculo. Expectamus, ut te planè sine morbo esse, nuncies. Erit hoc testimonium perpetuæ tuæ & constantis erga nos voluntatis, si & amore nostri valetudinem porro curaveris, & brevi plura cognitu jucunda ad noticiam nostram miseris Vale.

XCVII.

SI ab alio postulandum esset, quod nunc à te sum petiturus, insinuacione opus foret: quã solemus occultè per circuitionem aut benevolentiam aut attentum facere lectorem. Apud virum bonum & simplicis veritatis

tatis amicum arguto illo & circumscripto verborum ambitu uti minus necesse est. Non igitur dubito, more meo breviter summamque, quid Meierus meus à te favoris & auxilii poscat, exponere. Comperit, Principem tibi propediem curam & administrationem majoris negotii & muneris dare velle: Itaque illam sibi officiosam provinciam deposcit, ut quæ tu bene & laudabiliter inchoasti, studio & industria sua possit perficere. Ne autem vel ab iis, qui cum illo in eadem petitione concurrunt, superetur, vel à Principe prætereatur, tuo consequi testimonio sperat. Mihiremo oppidò justam & factu facilem petere videtur. Nam, ne quid gravius de competitoribus ejus dicam, nec ingenio minor est, & eruditione usque fortasse valentior. Quippe splendorem generis & facultates rerum opesque in laude & commendatione non pono. Sibi enim quisque

habet, non aliis, quod vel sua vel suorum virtute adeptus est. Et mihi satis esse ad voluntatem & tibi sufficere ad commendationem potest, quod vir & egregie doctus & bonus est, & plane dignus, qui muneri tuo succedat partesque tuas suscipiat: dum scias, nec tibi amiciorem posse succedere, nec te magis memoriam gratam provinciam tradere. Vale.

XCIX.

Votum mihi non defuit, mi frater, gaudiis me tuis etiam non rogatum inferre atque adeo intrudere. Haec sane fuit animi mei destinatio. Sed impedimentum & causa grauior obstitit, quo minus in proposito susceptoque consilio permanserim. Jam enim alterum & vicesimum diem in lecto fui. Hunc locum mihi terminumque pedis unius dolor conturbauit: extra quem egredi non licuit. Qua in re, animi mei securus non expectas, credo, ut me tibi diligenter

ligerentius purgem. Nam & fortuna mea a religione officii excusat, & tristitia severitasque, quam ex amaro valetudinis contraxi, a latis conuentibus. Ergo quia in manu mea non fuit, tibi omnibus incedenti laetitiam operam dare; opis tuae erit, absentiae meae impunitatem praestare. Nec enim tam promptus eis ad offensio-nem, ut me sportulae honore priues: Nec tam expeditus ad vindictam ut comminatione talionis me terreas. Quod unum quidem nequicquam feceris. Nam, ne nescias, hic homo a ducenda uxore sic abhorret, ut quicquam libero lectulo neget esse iucundius. Sed hoc scribo, quod imprimis celatum volebam. Nam si quae puella id crudelior rescisceret, me perpetuo ad podagras & compedes damnatum mallet, quam ullis interesse nuptiis. Quapropter te taciturnum spero, quod sine periculo meo vulgare non potes: dum hoc memineris

neris, propositam reticentiæ in nova constitutione juris nostri poenam nullam esse. Vale.

XCIX.

Terum irasceris, & nescis, an iure queas; cum de negligentia me non dum etiam certi quicquam habeas. Sed irasceris & me immerentem gravissimè accusas. Efficis profecto tu odio tuo, ut jam in altercando habeas parem neminem. Pensionem quæ pro hoc anno debetur, non accepisti: Hujus rei culpam in me reddere clamitas, quasi eam non in tempore exegerim. Ego verò eam sèpe multumq; exegi, & prius quam mihi ipsi nummus numeratus esset. Quid aliud potui? cum in manu mea non fuerit, vi auferre, quod curæ præce & bona gratia non potui. Itaque tu nimis iracundè hoc quidem & valde intemperanter præterq; meritum meum. Sed nihil nunc dicam gravius. Utinam tam facile mandatum

tua exhaurire possim, commodaq; augere, quàm libenter id omni tempore faciã. Agnoscas profecto, si à te ipso discesseris, te neminem habere, qui tibi honestius cupiat quicq; te magis amet. Vale.

C.

Antea multis tibi nominibus obligatus eram: nunc tanto sum devinctus tuo beneficio, quòd desideria mea Principi in tempore exposuisti, ut nemini plus debeam. Scio, te non postulare, ut tibi debitam ac meritam gratiam referam: dabitur tamen à me opera, ut, cum tantam referre gratiam, quantum debeo, non queam, habeam certè ac prædicem, quantum maximam animus hic capere potest. Gratisimum autem & novi instar beneficii erit, si pro cætera tua humanitate non gravaberis ostendere, qua ratione possim hic quoq; ingrati hominis notam effugere: quam mihi longa animi provisione fugiendam semper duxi. Vale.

CHRISTOPHORI GERTNERI

a

GARTENBERG

EPISTOLARUM

FAMILIARIUM

CENTURIA

TERTIA.

I.

NE hoc tempus mihi, nec res ipsa, quicquam ad scribendum argumenti præbet: sed scribendum est. Nam cum ex multorum literis intelligam, te, ut ipse literatissimus es, ita studiis humanitatis & literarum humanissimum quendam & benignissimum patronum ac defensorem præstare; mei officii esse arbitror, tibi primum nomine communium studiorum, deinde etiam meo gratias agere, quod ineptias meas, quas ego unâ cum aliis non magno æstimandas duco, tanti

facis,

facis, ut non legas tantum, sed etiam approbes ac laudes. Quare me scito tibi dupliciter obligatum esse: & quod ita de optimis literis mereris; & quod de me amantiùs, quàm merer, sentis & iudicas. Ipse literæ ut grata sint & laudem tibi perpetuam concilient, per se præstabit: Ego quid benignitati tuæ aliud referre possim, nisi hunc animum ad omnia, quæ tibi grata esse cognovero, promptum & paratum? Quem si non respicis, fac, locum ac numerum aliquem Gertnero inter clientulos tuos assignes: quod ipsum quoque in beneficii gratiæque loco numerabo atque ideo tibi longè etiam obstrictior ero. Vale.

II.

MERITO commovemur incommodo valetudinis tuæ & duro anni tempore jure irascimur, quod te nobis infirmum reddidit: quanquam interim non omittimus gratias agere,

K 6

re,

re, quòd te non planè ex numero vi-
vorum exturbavit; sed vita & com-
muni spiritu tantisper passa est frui,
dum reditu tuo vitam nobis & ani-
mum redderes. Velimus, eatenus
Domine Reipubl. & communi
commodo servias, quoad ratio &
commodum valetudinis tuæ, id pati-
tur. Nam quò magis eget Respu-
blica opera tua, eò minus commit-
tere debes, ut contra salutem & in-
columitatem tuam quicquam coner-
ris aut facias. De obviam itione fa-
ciam, ut jubes. Utinam modò an-
te Cal. Febr. te vegetum nobis hic
fistas! Nam circa id tempus Rex &
cæteri Senatores expectantur, sed ex
quòdam rumore. Quidquid ejus erit,
tuum reditum spe expectamus,
quemadmodum profectionem tuam
amore & votis prosequuti sumus.
Vale.

III.

F Acis amicè, quòd debitum exigis,
non

non flagitas: quoniam illud jam du-
dum pro te memor ac gratus in be-
nemeritum animus meus efflagitat.
Sed optimam voluntatem quotidiè
aliud ex alio impedit. Nam, ut nihil
dicam de summa difficultate num-
maria, in qua plerumquè homines mei
ordinis ac loci sunt; certè in imma-
nibus jacturis infinitisque sumptibus,
quos in officinam armorum feci, ni-
hil magnoperè mirandum esset, si
vel bene nummatum pecunia tan-
dem defecisset. Profer igitur paulò
longius diem solutionis, quam postu-
latio tua & voluntas mea exigat. Non
morabor expectationem tuam præ-
ter æquum ac bonum: sed simul atque
nummularum aliquid à quæstoribus
expressero, quod debeo, solvam &
simul æquitati tuæ & voluntati meæ
satisfaciam. Vale.

IV.

Optarim, in eo statu Rempubl.
esse, ut salutem ejus sartam te-
ctam

Etam ab omni discrimine nunciare possim. Sed nihil profunt vota infelicitum venientibus jam atq; instantibus periculis; De quibus, ut nosti graves rumores sparsi sunt. Assurgit animus, postquam imminuto timore spes nova ad fiduciam securitatis cepit accedere. Atq; hoc tuæ pronobis sollicitudini levamento fore confido, Deumq; precor, ut te pro rebus nostris excubantem prosperorum vicissitudine muneretur. Vale.

V.

LAudo hominem, qui hoc primus in morem nostrum induxit, ut peregrè profecti literas auspicerent. Quem morem quia tu quoq; retines & missa maturè epistola, prospera itineris ad me perscribis, officii mei erit, scriptionem tuam amicis munerare responsis. Quod identidem faciam, si me frequentibus literis, ubi & ad quod tempus moraturus sis, edocueris. Vale.

VI.

VI.

FRatrem meum in controversia, quæ ipsi cū Senatu vestro est, pro tuo in me amore, & pro meo in te studio spontè juvare debuisti: Cum te hujus beneficii & fratris necessitas, & nimis callida ac malitiosa interpretatio juris in re manifesta, admoneret. Nunc, quia nobis vel occupatio tua vel quævis alia causa auxilium tuum invidit, ego te jure amicitiae nostræ convenio, judicaturus in posterum de impigritate & negligentia tua, utrum voluntate fratris mei necessitatibus, an necessitate defueris. Vale.

VII.

DE pensione superioris anni satisfactum est Excellentiae tuæ aliquantò ante diem. Ex ea, quæ pro hoc anno debetur, etiam major pars soluta est. Nunc fidam occasionem mittendi pecunias circumspicio. Nam pluribus proficiscentibus, unum egregium

gium aliquē nostra excerpēt electio-
cui pecuniæ tuto committantur. Vi-
des causam Patrone tardioris officiū:
quæ causā si tibi probabilis videbitur,
vicissim curabis, ut cætera tua
mandata certis commissa nunciis ad
me perveniant. Vale.

VIII.

NOLI putare, animo meo quicquam
antiquius fuisse, quam mandatis
tuis satisfacere. Nam res omnes,
quas curari à me voluisti, ita
confeciatq; digessi, ut consilium factumq;
nostrum tibi non dubitarem gratum
atq; jucundum fore. Cùm igitur ego,
partes amantis, pro expectatione tua
& mea summa in te diligentia,
impleverim, super est, ut animum
erga me parem ac mutuam data
occasione testeris. Vale.

IX.

TRIBUNUS plebis, cui immerito
timuisti, in tuto est. Rescriptum
Regium, de transferendo æra-

rio

rio ad populum, verbis dici non potest,
quanto gaudio civitatem universam
affecerit. Nunc porro operam
dabitur, ut omnia circa eam rem
ex mente Principis ordinentur,
instituantur, digerantur. De cætero
& valetudinis meæ & constantis erga
te voluntatis securus esto: Et meam
de negotiis tuis redituq; curam æquè
jucundis mitiga responsis. Vale.

X.

DIGNITAS, ad quam per gratiam
Principis nuper admodum evectus,
per mihi grata perq; jucunda
accidit. Dicerem, optatam esse,
nisi id verbum commodis meis officeret.
Quippe amplitudo, quæ auctus
es, honori nostro lucem eripit &
quasi noctem quandam offundit, non
aliter ac lumen lucernæ luce solis
obscuratur & offunditur. Etsi enim,
quæ labes & macula seculi est, virtuti
tuæ non invideo præmium, quod dari
à DEO & Principe maximum possit;

fit; Interdum tamen in hoc tibi paulum invideo, quod, cum in pari gradu honoris nunc ambo simus constituti, tua quidem dignitas rei novitate oculos omnium convestat, mea vero propter vetustatem apud animos hominum magis magisque obsolescat. Nihil tamen secius voti mei summa eo processit, ut amplitudine partæ laudis diu fruarè: quanquam quid est in vita hominis diuturnum? satis tibi erit ad beatè vivendum, si prolatio vitæ dilationem præmii æquet parèsq; annos numeret. Nec absurda censetur optatio, quæ prolixo fructu compensari serum gaudium optavimus. Vale.

IX.

Incredibile est, quam me epistolæ tuæ delectent, animi benevoli testes & veri affectus interpretes. Non igitur mirum est, si nullam aliam mercedem mei erga te amoris studiiq; desidero præter hanc literarum

rum: quas etsi frequenter & assidue sumo, impensius tamen semper flagito. Quippe non facile obrepit satietas aut fastidium rerum bonarum, quæ tunc maximè expetuntur, cum jucunditate sua oculos pascunt animumq; satiant. Noli igitur metuere, ne assiduitate scribendi fastidium sermonis tui moveas: Ni fortè sic existimas, fieri posse, ut cum vita sensum quoq; jucunditatis abjiciam. Vale!

XII.

Du quidem infirma atq; etiam ægra valetudine fui, & officia familiaria obire difficulter potui, corpore nimirum & animo confectus. Sed nunquam ægritudinis & reliquorum morborum tanta vis ingruet, ut memoriam tui doloribus fractus abjiciam. Quin immò levationem utriusq; mali præcipuè in duabus his rebus pono, avocatione à cogitanda molestia & revocatione ad contemplandam jucunditatem sermonis tui.

Quid

Quid cupiam vides. Longior sanè epistola non animum solum ægritudine, sed corpus totum, ut spero, morbo levabit. Præstabis libenter operam debitam amicitiae, amico ægroto profuturam. Nec metues, ne non libens sequar consilium tuum plenum fidelitatis & prudentiae, cum me videas sermonis tui tam cupidè appetentem. Vale!

XIII.

Nihil est incertius vulgi sermonibus, nihil magis dubium rumoribus, qui sine autore feruntur. Sed in iis rebus, quæ ad salutem publicam spectant, piaculum foret, quod dubium est, id relinquere incertum. Quare, ut omne munus officii diligenter sancteq; servem, & audita in tempore proferam, &, ut omnia quam primum magis comperta atq; explorata habeam, operam dabo. Crebri de Governatore Borussiae rumores hic sparsi sunt, quasi omnes

copias

copias Brandeburgicas, quæ adhuc per totam provinciam dissipatæ egerunt, jufferit unum in locum convenire vasq; colligere. Quare omnino hujus rei summa cautio & una provisio est, ne hostis nos in his locis, à militè & pecunia flagitiosè imparatos, opprimat. Sunt sanè, qui hoc metuant, quamvis de adventu hostis nihil adhuc certi sit. Tuum erit, Principi hoc ex fide renunciare, & ipse vigilare atq; providere Republicæ, ne quid detrimenti capiat. Vale!

XIV.

Olim à connubio & affinitatibus alienus, penè exacta ætate in stabili certoq; matrimonio collocari cupio. Quod meum consilium tibi jam compertum esse arbitror. Nam solet multa etiam rumor ipse perferre. Restat, ut dei quoq; certior reddaris: quæ in ipsas Calendas proximas incidet. Hinc igitur officium tuum

tuum conjecta & promissi observantissimus ad solenne nuptiarum proferare memento. Vale!

XV.

Villicum, quem in custodiam dari præcepisti, iudex & leges emitti è carcere & levare vinculis iusserunt. Quippè res indigna atq; intoleranda visâ est omnibus, quemquam incognita causa condemnari. Tum vadium, quod ille procuratori tuo intra forum suum libenter promisit, necessitatibus tuis sufficere teq; indemnem præstare posse iudicatum est. Quod eò ad te scribo, ut cognoscas, justam nobis causam fuisse, quòd & iudici ordinatio & legibus cessimus. Vale.

XVI.

Qui gratia Principis ad altiorem gradum ascendunt, authorem honoris coràm venerari, novi muneris instar putant. Hoc sanè animo nunc familiaris meus Hegius se

in viam dat, ut tibi pro commendatione tua præsentem gratiam referat. Peterem à te & te pluribus verbis rogarem, ut te ipsi facilem benignumq; præberes, si odisse aut averfari beneficium tuum posses. In lucro igitur putanda est commendatio, quæ minus grato acceptoq; tribuenda foret. Neq; enim dubium est, te liberaliter benigneq; habiturum præsentem, qui absentem honoribus longius provexeris. Vale!

XVII.

Literas tuas initio lætus sumsi: sed lectâ paginâ, meâte liberius accusari ac moneri comperi. Verùm cum in solvenda pecunia, quæ mercatori Hamburgensi debebatur, nunquam fuerim cessator, frustra neglecti promissi accusor. Utar in ea re testimonio ipsius Dreilingii, qui pecuniam pridem oblatam absq; consensu & mandato Molneri accipere distulit. Constare igitur mihi apud te expleti officii

officii rationem cupio. Nam indignum & intolerandum foret, culpam mihi immerenti ex alieno peccato contrahi. Vale!

XVIII.

Damna proximi incendii moderatione telonii, quod pro invectione panni serici & holoserici solvitur, sublevari posse, multi sunt, qui exstiment, meq; orant, ut idem tibi persvadeam. Est humanitatis & consuetudinis tuæ, miseris & laborantibus nihil negare. Et ego desideria afflictæ civitatis nuper apud te rationibus & argumentis defendi, deinde contraria refutavi, Ergo si nihil est, quod officere & obstare commodis precantium potest, da operam quæso, ut pulcherrimum opus perficias & Principem eam in partem, quæ sit infelicitum implorationibus & miserationi amica, permoveas. Tota civitas beneficium tuum quamdiu resuscitatum ex cineribus

oppi

oppidum videbit, summis laudibus prædicabit: Et ego gratiæ tantæ non immemor debitor ero. Vale!

XIX.

Tuam circa dignitatem meam curam ac studium quo alio possim opere demereri, quàm ut tibi totum in solutum offeram? Ut igitur antè tuus mancipio & nexu fui; sic in posterum usu quoq; & fructu libens ero. Spero enim, obligationi meæ hanc felicitatem eventuram, ut, quemadmodum antè ignotum & vix semel visum, mox pluribus beneficiis tuis devinctum, sæpè multumq; juvisti, ita posthac ut unum ex tuis magis etiam defendas ac tueare: quandoquidem eo animo es, ut instar beneficii habeas, si tibi gratus debitor accedat. Vale!

XX.

Mittere fructus villulæ tuæ adhuc non libuit, tum ob mare prædationibus & latrociniiis infectum

L

stum, tum alias ob causas, quas hic recensere vitamus. Hinc factum est, ut officium nostrum monita præceptaq; tua præverterint. Postquam Dei benignitate & cura Principi amota sunt, quæ obstare impedire videbantur, differre missionem non debui. Sume igitur annonam agrotui: quæ ut diu expectata est, ita desiderium sui proventu, spe & voto tuo majore, solabitur. Nam & ager iste antea villam nullam habuit neque ulla ex parte est cultus: Nunc opera nostra cultissimus est cum optime villa. Tu fructus & meliorationes expende & studium nostrum hinc conjecta. Vale!

XXI.

Commodum ad te literas dedimus. Ram de negotio villici tui, cuius pagina tua mihi est reddita: Eam paginam dico, quia me rogas, ut, quæ admodum res tota gesta sit, scribam. Sed ego hoc non rogatus, paulo

tè, ut dixi, pluribus verbis scripsi. Ergo nihil restat, quod ad eam paginam respondendum putem, præter hoc unum, me ex animo lætari, studium ambobus idem ac par esse. Nam quæ ex me scire voluisti, ea ego antè, quam tu interrogares, nunciavi. Vale!

XXII.

Erat animus, tibi suadere, ut vel procuratori tuo, quid de villico fieri velles, mandares, vel villico ipsi imperares, quid de agricultura faceret. Tametsi enim hac de re putabam te constitutum, quid facturus esses, habere; tamen non sine causa verebar, ne, si majoribus occupatus, hæc minora curare negligeres, aratio & tota agricultio à rusticis intermitteretur. Nunc postquam facultatem mihi dedisti, ut ea omnia meo arbitratu facerem, suasionem istam mihi suscipere putavi: ne non alacer suscepisse commissum negotium viderer. Erit igitur in manu fortunæ,

raturum facere, ut ante IX. Calend. Sept. ornamentum Livoniae, praedictum tuum, videam. Haec est animi mei destinatio: Effectum favor Coelestis moderabitur. Vale!

XXIII.

Fortunatorum ista conditio est, ut amicis operam dare possint & de cetero tanquam emeritis stipendii secum esse secumque; ut dicitur, vivere. Nos neque amicissimis nostris visum esse, neque nostris inservire commodum patitur invidentium factio. Quare ut possumus, modo jus nostrum iudicio persequendo, modo a principe nova rescripta impetrando, locorum variamus distinctionem. Quare nunc aulam Orebroam secuti firmum a Principe praesidium & aequum contra tot potentes adversarios defendimus. Sed hoc tibi, ne sis necessitatorum nostrorum, paucis verbis indicamus: quae mox ex itinere, si nihil disposita turbaverit, persequere.

sequuntur. Tuum est, vitae nostrae hanc legem & conditionem frequentibus responsis solari, si gravem putas: ope tua juvare, si miseram. Vale!

XXIV.

Munusculum tibi mittimus ex agro frumentario & hostimentum ex cella tua vinaria, vernula revertente, optamus accipere. De cetero rusticatio nostra bellè sanè procedit; sed indiget socio laborum, maximè accedentibus curis, quae novae villae instauratio ingessit. Si tibi socium & animus esset, aestivis his diebus nobiscum commorandi, iisdem, quibus ego, oblectamentis & solatiis senectutis perfruerere. Crede mihi, nihil est omnium rerum, ex quibus digna libero homine voluptas percipi possit, rusticatu melius, nihil uberius, nihil dulcius. Fac periculum per paucos dies, me verum dixisse patebere. Vale!

XXV.

NOvæ victoriæ decus constans fama & sermo omnium celebraverat : Et nos prospera gaudiorum spe summa præceperamus. Sed ubi progressus dierum incerta rumorum coarguit : id nobis superesse solati adnadvertimus , quòd optimo & fortissimo Principi de triplici palmarum gratulari possumus. Fungor itaque officio plurimum , & gaudium , in quo tota provincia latè exultat , contra cta gratulatione demonstro. Tu autem Excellentiam oro , ut Principi significet , Majestati ejus hic non tantus diei gratulationem , sed gratis gendis & gratulationibus habenda æternitatem immortalitatemq; destinari. Dignum quippe est , ut quo consensus concentusq; Universitate de divinis laudibus meritissimi Principis grato animo constituit , quod primum ad notitiam Majestatis ejus perveniat. Quare votis nostris b-

nig

nignus arride : ne aut testimonium meum pro nihilo habitum , aut lætitiæ communis non gratissima acceptissimaq; fuisse judicetur. Vale!

XXVI.

SCio , quàm diligas doctos atq; eruditos viros , & quàm illam clientelam honestam judices : atq; ideò minus dubito , causam Portii nostri tibi iterata scriptione commendare. Suscipe igitur notum studiis & meritis virum : qui se sperat adversarios & obtractatores laudum suarum facile superaturum , si eum favor patrocini tui porro respexerit. Vale.

XXVII.

UT primum de morte N. cognovi , operam dedi , quantam honestè potui , ut mihi magistratus iste præ cæteris , qui mecum in petitione concurrebant , mandaretur. Sed tua pro me cura ac studium , ut postmodum cognovi , longè majora fuerunt. Nam & Patronos meos hortatus es ,

L 4

ut

ut Regem pro me orarent: Et aliena exactor industriæ nihilominus ipsi apud principem pro me contendisti. Videbone diem illum, quo animus istum, parem tibi curam ac studium navans, feliciter exæqvem? Profecto, si quid integritas vitæ, & multæ artes eximiæ, hujus administræ committesq; virtutis, animum principis tangunt, te quoq; propediem præclarum muneris candidatum videbimus. Tum ego nihil malim, quàm simillima & maximè gemina cura pro te contendere posse. A te enim dici, summo studio curare, quicquid pro amico agendum est. Vale!

XXIIX.

Nullus absq; literis meis tabellarius ad vos proficiscitur. Quid si eadem animi alacritate in hæc officia humanitatis exardesceres? sed non poenitet me assiduitatis, etsi vel occupatio tua vel dissimulatio affectum mutuum adhuc negavit, Nam

officia, quæ à vero, non fucato, affectu proficiscuntur, etiam sine spe victu dinis præstantur. Valetudo quam intermissa diata amiseram, lento adhuc gradu revertitur: Ideoque una mihi nunc opera datur, ut continentia in victu omniq; cultu corporis adjuvetur. Quid vos? an rectè semper valuistis, ex quo tempore ruri commorati estis? Avet animus de re ista quàm primùm edoceri: Nam res ista, si ita est, à me inter præcipua gaudiorum numerabitur. Vale!

XXIX.

Rebus sanè feliciter & ex mea sententia in aula gestis, me quoq; ex sententia navigasse & eodem penè die, quo ex Svecia solvi, hunc portum tenuisse, nuncio. Hoc quippe initio scribere consilium est, quòd tibi & reditum meum gratum & conspectum multò jucundissimum futurum scio. Te quoq; itinere ex animi

sententia confecto domi res salvas in venisse, in primis gaudeo. Nam hoc & alia majora literæ, quæ mihi advenientiâ te redditæ sunt, indicarunt. Ex quibus id quoque intellexi, te nostri diligentissimum fuisse, nostraque negotia perinde egisse, ut me existimasti agere tua posse. Cui rei vel ideò summam laudem summamque gratiam tribuere debeo, ut hac testificatione grati & memoris in bene meritum animi te ad continuationem familiaris officii allectem atque invitum. Vale.

XXX.

Juvandi sunt cives navi & industriæ qui mercaturis faciendis honestam rem quærent: Nam non tantum suorumque usibus, sed etiam salutem communis patriæ serviunt, dum portorium de rebus singulis, quæ importantur in urbem vel ex ea exportantur, pensitant, rebus gerendis haud leve momentum. Non dicam, solum

hoc in Republ. vectigal esse, ex quo ærarium principis confert; Est tamen reverà subsidium, quod cessantibus aliis proventibus maneat, quod non solum in pace toti Regno salutare, sed etiam in bello magno ad victoriam adjumento sit, militem sustentet, hostem & incendia non pertimescat. Illi ergo, qui vobis ista pro virili sua parte curant, ad te veniunt, multa questuri, non quidem de cuiusquam iniquitate, sed de fortunæ ipsius injuria. Audies, merces illorum, quæ unâ cum onerariis Belgicis hic comprehensæ sunt, ipsis invitatis in Sveciam transportatas, unde partim magna impensa huc reportare oportebit, partim planè reportari non poterunt, cum ex illarum genere sint, quæ ætatem ferre nequeunt & æstivis his mensibus facillimè corumpuntur. Audies incommoda alia, jacturas, damna, quæ præter meritum suum contraxerunt. Igitur

adeuntibus facilem aditum patefacito, auxiliumq; ferto & toti huic provinciae profuturum & svavissimis moribus tuis conveniens. Vale!

XXXI.

Missis ad te literis, quas mecum ex Svecia apportaveram, diem ex die expectabam, ut prior scriberes mihiq; significares, ubi esses, qui ageres, quidve acturus esses, vel quod impensius optabam, ut ipse tui nobis copiam videndi appellandiq; factus res. Sed quia vel ob nimiam occupationem vel ob immoderatam animi remissionem, utrumq; prætermisit suscipiam paulisper partes tuas et eum me esse fingam, quem te fore credidi. Spero enim sic saltem futurum, ut sumpta epistola, quam prior emittere debuisti, aut mihi aspectum tuum præsentiamq; præstites, aut, si quid obsistit votis, prompta responsione testeris, præreptum ob

officium tibi non ingratum accidisse. Vale!

XXXII.

Feliciter me in Canuti Curcii, magni & excelsi viri, svavissimiq; & doctissimi hominis, amicitia insinuaui. Quod cum tibi absenti non minus gratum fore crederem, quam mihi præsentem jucundum fuit, in principio epistolæ commemorandum putavi. Simul te in Magni Mœcenatis familiaritatem venisse, dici non potest, quam valdè gaudeam. Scilicet tale quid superioribus literis significare visus es, cum scriberes, te labore & diligentia patronum quæsisse, casu & felicitate amicum invenisse. **DE**us, ut mutua hæc communicatio rerum letarum, & quasi quædam societatis utilitatum, nobis perpetua sit, nec unquam tristior pagina alterius gaudia infuscet. Vale.

XXXIII.

Inter gaudia mea numero, quod in

tanta mole curarum mihi vicem salutationis non gravatè rependis, & si negotia operosa tulerint, assiduitatem spondes familiarium paginarum. Cui rei gratiam referre certum est, ut diligentia similis officii ad perseverantiam propensè in me voluntatis stimuleris. Vale.

XXXIV.

DIu est, cum virtutem & integritatem tuam, vitamq; honestissimè sanctissimeq; actam, una omnium voce celebrari audivi. Qui bonorum omnium quasi consensus concensusq; id mihi desiderium movit, ut longo tempore nihil magis optarim, quàm amicitiam, si fieri posset, firmam perpetuamq; tecum jungere. Nam, qui omnium laudibus ornatur, etiam incognitos & nunquam visos ad amorem sui pelliciant. Ergò si hæc significatio meæ erga te voluntatis tibi æqua & honesta videretur, redde in vicem, quod tuum erga nos
anr

animum declaret: Nisi tamen humanitas tua, pariter omnium sermone celebrata, mutui me affectus tui jam securum esse jubet, Vale.

XXXV.

Non libenter committo, ut opinio, quam nonnulli de ingenio meo habent, aliquo casu labefactari aut convelli possit. Atq; ideo scripta mea iudicio tuo serò commisi: veritus, ne existimatio reliquorum parum valitura esset contra malevolorum criminationes, si tu Censorium iudicium ac notationem in labores meos exercuisses. Sed non minus veritus sum, nisi tibi quoq; lubricationes meas probassem, ne parum utiliter collocassem operam meam. Duas igitur centurias epistolarum nuper à me editas misi, tenni quodam & exiguo stylo scriptas. Nec enim opus erat, in re levi & inope multam adhibere diligentiam: aut illud si opus erat ad laudem docti & eruditi scri-

scriptoris consequendam, tamen ad opinionem mediocris ingenii tuendam minus necessarium erat. Verum hic tuo potius iudicio stabo, quam meo. Merebitur, ut spero, simplex & non fucata dictio, ut si tibi non magnopere laudandi, certè non omninò contemnendi videamur. Vale.

XXXVI.

Credo, te scire, me minimè blandum esse, atq; ideò, quoniam ire in laudes tuas oportet, minus aliquantò dicturum, quam sentio. Tuus adventus talis est, ut civitas eo ipso reviviscere, respirare à metu, emergere à fluctibus servitutis videatur. Igitur unà & mente & voto omnes optant, ut hoc magistratu longum fungare: quo & tu diuturnitate honoris moram præmii, & civitas continuatione felicitatis diu interrupta gaudia exæquet. Vale.

XXXVII.

XXXVII.

Magna est opinio hominum & de amicitia nostra & de Principis in te amore & indulgentia. Hinc est, quòd multi literis meis se tibi commendatos, patrocinio tuo Principi acceptos fore confidunt. Quapropter, cum is quoq; qui has tibi redditurus est, magna in spe sit, apud te commendatione mea, tua autem advocacy apud Principem juvari posse, quòd meum officium est, ipsi libenter præsto. Recipe verò in fidem tuam clientem, quem non longitudo itineris, non sæva hyems, à spe, quam in ope tua positam habet, abduxit. Quam opem si illi libenter præstiteris, homines blandam opinionem de meo merito & tuo auxilio secutos, ut in suscepta sententia permaneant, facillè adduces. Vale!

XXXIIX.

Ubi primum in provinciam reduci occasio oblata est, non distuli acta

acta totius itineris ad te perscribere. Nec dum, quod de peregrinatione rusticationeque tua libenter audirem, retribuisti. Sed non pœnitebit me officii sæpius iterati, quamvis literis meis non statim & semper rescribas. Quippe de tuo erga me animo adeo securus sum, ut, si vel data opera de illo dubitare velim, non possim. Vale!

XXXIX.

Quanquam & æger animo sum & corpus omnibus oppressum & confectum doloribus, non tamen mihi grave duco, literis tuis paucis rescribere: Ut hac tessera, vigere apud me memoriam meritorum tuorum, cognoscas. Nec vereor, ne brevitatis te offendat, quæ tibi plerumque etiam in re gravi familiaris est. Quamquam venia mihi hic paratior erit, quem non perinde, ut te, ambitio & voluntas, sed injuria valetudinis brevem facit. Vale.

XL.

XL.

Mihi quidem æger densus herbis & floribus, & liqvores perlucidi annuum & riparum vestitus viridissimi hic magnæ jucunditati sunt; sed tua erga me officia, plena studii tui suavissimi, his deliciis antiquiora judico. Quare properato in urbem reditu, quoniam me expectas & oras, ut maturem venire, nuptiis tuis spectator & conviva in tempore adero. Vale!

XLI.

His literis & indicium salutis meæ ad te mitto & à puero revertente vicissim quod de te gaudeam, expecto. De valetudine Scipionis nec nulla, nec magna spe sumus. Caret quidem interdum doloribus, sed viribus indiget, maxime accedentibus curis, quas procuratio belli, quod crudele & exitiosum scipi intelligo, ingessit. Sed ire longius piget. Nam non est animus, tristi-

tristibus gaudia vestra interpellare. Quare ut boni aliquid attulisse videar, addam aliquid, quo faciam id, quod temerè nunciavi, latius. Imperator noster simul atq; in Pomeraniam venit, literis circa præfectos dimissis, copias omnes iussit unum in locum convenire. Summa totius exercitus novem millia peditum fuerunt, septem equitum, præter eos equites, quos dimachas appellant Græci. Cum hoc exercitu paucos post dies in Ducatum Brandeburgensem profectus est, nemine resistente, nisi quòd apud Castellum quoddam, Leukeniz vocant, non nihil titubatum est. Postea quæta omnia invenit, adeòq; peditem per oppida, equitem per proximos pagos ita divisit, ut, si qua vis externa ingruat, dispersos ac dissipatos brevi tempore contrahere & ducere in hostem possit. Sic initia armorum nostrorum se habent: quæ uti bene posuimus, ita

caete

cætera, ut spero sequentur. Vale!

XLII.

Prafato Numinis auxilio iter & subitum & longum aggredior, accitu Principis evocatus. Res interim meas à potissimis amicorum quibus te annumerari pateris, curari velim. Da istam operam procul affuturo, ut qualem te antea amicis peregrè profectis præbuiisti, talem te mihi hoc tempore impertias. Gratius officium erit, quod absenti præstabitur. Vale!

XLIII.

Officinam laterariam instituo, ubi terra limosa in lapidem duretur. Ad hanc ordinandam opifice sciente & perito opus est: ut cultus agelli mei quàm rectissimo splendescat opificio. Architecti lateres Lubenses pluris putant, quàm qui aliunde advchuntur. Inde ergò talem opificem mihi opto. Dignare, quæso te, amicitiam nostram hac opera

foene-

foenerari, ut ex tanta copia, quæ apud vos esse perhibetur, eum eligas mihiq; sumptu meo mittas, quem pro tua prudentia commodissimum judicaveris. Non ero immemor officii hujus, si quando tuus etiam usus aliquid ex hac civitate desideraverit. Vale!

XLIV.

Non concessit senatus petitioni tuæ, ut conductor fundi tui in dicta causa dejiceretur. Nam quæ jure & legibus nituntur, per gratiam adimi aut dari non possunt. Proinde, si quid me audis, amove a te hujus impetrationis invidiam. Famæ enim & rectè factorum conscientia consulere mea sententia multò præstat, quàm rem quantumvis magnam contra jus fasq; auferre. Hoc me amice monere, facilè judicabis. Intellegis quippe, me pro mea summa & tibi non incognita erga te benivolentia nihil magis cupere posse, quàm
fama

famæ & existimationi tuæ imprimis consulere. Bona existimatio divitiis præstat. Vale!

XLV.

Quod me magno animi motu perturbatum credidisti ob novum incendium, quo paulò post professionem meam, per Dei gratiam unica tantum domus, nec ea tota conflagravit, fuit equidem, cum casu respiciens fumum & flammam longè lateq; diffusas in medio itinere conspicerem. Jamq; de reversione cogitabam, cum ardor ignis paulatim minueretur & puer curriculo me secutus affirmaret, ignem, antequam abiisset, ita jam extinctum fuisse, ut nulla scintilla comparuerit incendii. Hoc nuncio etsi erigere animum & paulum respirare à præsentis metu coepi, tamen incertus futurorum cras redire statui: DEum obsecrans, ut vos salvos & incolume, hæc epistola & mox adventus meus inveniat.

niat. Sic enim me festinati & immaturi reditus minus poenitebit. Vale!

XLVI.

EGo quidem amicis meis commodum nullum invidio; sed mallem te maximos quæstus prædasq; citra meum incommodum, quàm compendium non magnum cum meo certissimo damno, facere. Nam Mejeri Bibliothecam, ut nosti, non tantum mihi pignore multorum numerorum per hos annos proximos obligatam habui; sed etiam de ea suppleta, libris quibusdam commutandis, quibusdam etiam comparandis, curam sustinui. Nunc postquam eam ab hæredibus mercatus es, propè jam inveterata possessione decedere jubeor. Possem lege agere & isti me venditioni opponere; Sed nolo quicquam inhumanè facere & acerbius, quàm mores mei patiuntur. Satis mihi erit ad compensationem damni, quod ex ista alienatione

ad

ad me redundat, si sortem mihi cum usuris, quæ pro quatriennio debentur, reddideris. Nisi tamen fortunis tuis magis convenire existimas, tua ultro vendere, ut æs alienum dissolvas, quàm mercari nostra, ut æs novum alienum contrahas. Vale!

XLVII.

Salus & incolumitas Wismariae, ut antea scripsimus, à sola classe pendet. Quod oppidum, ut initia armorum nostrorum se habent, aut ante hyemem nullum erit, aut ab illa servabitur. Nam quamvis hostes in oppugnando imbelles timidiq; sint, ut sunt: nostri autem animis fortium virorum sese defendant ac tueantur; tamè longinquitate obsidionis, & accedentibus aliis super alia incommodis, succumbere pertinaciæ hostium & cedere fortunæ cogentur. Expectamus igitur vel potius exigimus literas tuas, quarum fide in spe appropinquantis classiculæ confirmemur.

M

Si

Si quid ipse rerum mearum scire
aves, ab illo, qui has tibi exhibuit,
fatis superq; cognosces. Est enim
mihi conjunctus domestico usu &
consuetudine, planèq; dignus, qui vel
sine testimonio meo in fidem & cli-
entelam tuam recipiatur. Vale!

XLIIIX.

CUM primum fociis patriis Diisq;
Penatibus sum redditus, non dis-
stuli, acta totius itineris ad te per-
scribere. Ad illas literas tu adhuc
nihil respondi: credo, impeditur
familiaribus negotiis, vel quòd id
ipsum, quod datur otii, libentius Phi-
losophiæ, quàm amicorum cultui im-
pendis. Igitur officium mihi iterari-
um putavi: ut, quod obtineri prima
scriptione non potuit, secunda aufer-
ratur. Vale!

XLIX.

UNam omninò epistolam post re-
ditum meum à te accepi: non in-
per, sed modò & planè paulò antè. E-
pistola

epistolæ his literis respondeo: ut, sa-
lutis meæ certus, tuam cures. Dabis
vicissim operam, ut indicium pro-
sperorum tuorum mihi securitatem,
& literarum jucunditas voluptatem
præstet. Vale!

L.

NON dubito, quin mirere atq; et-
iam itomachere, quòd sæpius ad
te literas uno exemplo scribam. Sed
si cogites, quàm incerti sint tabella-
riorum cursus, quanta è contrario
adversariorum in præveniendò cele-
ritas, non moleste feres, idem peti-
tum sæpius iterari, ut semel prove-
niat. Hominis & studiis iisdem &
vetustate amicitie mecum conjuncti
gravis causa agitur: Quò magis soli-
citus sum, ne quid aliter sit, ac volu-
mus. Nemo autem in hac causa plus
potest, quàm tu: cujus propria ejus
cognitio ac judicium est. Ergò pe-
titum pro tam charo capite gemi-
nare & duplicare, vel sæpius iterare

non piget. Tantum oro, ut molestiam legendarum tot epistolarum consimilium & quasi uniformium leniter feras, & spem auxilii, quæ apud me quotidiè crescit, properato responso amplifices atque confirmes. Vale.

LII.

Primo & maximo mandato tuo superioribus literis me satisfacisse arbitror. Superest, ut de locatione prædii, quam tibi ante Calendas junias, ut spero, effectam dabo, proxime nunciem. Quod nunc ideo scribo, ut expectatio, quam de diligentia mea habes, spe ampliore pascatur. Vale!

LIII.

Quanquam hæc nuper admodum inter nos notitia est, neque summis ab utroque officiis culta, tamen te amicis & per necessarios meis non impari em judicans, munusculo colere institui: quod ipsum propter exiguitatem suam instar inchoati cujusdam officii est, non perfecti. Ne semper proverbio locus sit, amicitias utilitate probari. Tuam erga nos diligentiam privatim literarum assiduitas & frequentia, publice officia, quæ amore nostri civibus meis præstabis, testabuntur. Vale!

Operi inchoato, propè tamen absoluto, tanquam fastigium imponam. Meministi me, cum Holmiæ essem, negotium Statii tibi de meliore nota commendare & te rogatu meo defensionem miselli liberaliter promittere. Ea nunc promissa à te repeto. Nam tempus postulat, ut meas quoque utilitates in Statio juves: qui, pro sua modestia, opera tua ita utetur, ut utilitatibus meis nihil de-roget. Vale!

LIV.

Conductores prædiorum, quæ procul sita sunt, tanquam soluti

LIV.

M 3 legi-

legibus vivunt: quia sine observatore & metu. Ad hos in officio retinendos plerumq; judiciali remedio opus est. Quod nunc quoq; Excellentiae tuae usu venit. Quae iussu tuo rogavi & perfeci, ut debita a conductore tuo eruerentur & delicta, quae in agro tuo commisit, severe vindicarentur. Excellentia tua vicissim sollicitudinis meae circa rusticulum Uxkulense curam in se non gravate recipiet. DEus autem eam diu hospitem & valentem servet!

LV.

PEnatibus meis redditus, nullam moram interponendam putavi, quin tibi consilium profectiois & reversionis meae exponerem. Nec minus prolixè mihi de tua voluntate pollicitus sum. Sed tu nondum parus & mutui officii erga nos munificus es. Suspico; tabellarium te sermonis nostri nondum participem reddidisse; atq; ideo tibi eadem &

illa iterò. Malo quippe aures tuas narrando obtundere, quam eas fraudare reticendo. Tu vicissitudinem, quam primis adhuc literis debes, secundis non negabis. Vale.

LVI.

Non stultè sapiunt, qui se in amicitiam tuam conferunt. Nam pars sapientiae est, consilia sua & res suas omnes optimi cuiusq; fidei committere. Atq; ideo prudentiam Cornelii nostri libenter commendo, eundemq; in clientelam tuam promptus laudator introduco. Permite quæso, ut exorator sim & voluntatem tuam meo desiderio ejusq; optatis prolixè respondisse gaudere possim. Quod vel humanitatis causa facies. Nihil enim minus hominis foret, quam non respondere in fide iis, a quibus tanta fiducia provocaris. Vale!

LVII.

ENunciabo, quod adhuc semper tacui & tacendum putavi. Sed

arduum est, Domine, quod cogitatione assequi ægrè possumus, id oratione complecti. Præstitit iustitia tua mihi & tribunis militaribus, quorum causam oravi, ut hic eodem honore censeremur, quo in Svecia & contributis provinciis gaudemus. Mediocre id beneficium putet, qui nullo honoris & existimationis ambitu tenetur. At ego magnitudinem gratiæ cum ex aliis causis, tum ex ea præcipuè intelligo, quod tam plenam indulgentiam ipse cum tot fortibus & honoratis viris experiar. Cui benignitati & gratiæ cum summa iustitia conjunctæ, si gratiam referre non possumus, eam clementiæ tuæ libenter debebimus. Interim ad vota & preces transimus, Deumque civiliter ego, cæteri militariter orant, ut te pro tanto beneficio dignè muneretur. Vale!

LIIX.

Video, video, quam sit varia prospecto

sperorum commutabilisque ratio, quam inconstans volubilisque fortuna. Quem paulò antè ad spem præsentis tuæ erexerat, subito in summam desperationem adduxit. Sed hæcenus vim suam in vota gaudii communis intenderit. Nihil adhuc damni factum est, quod alio sarciri commodo non possit. Nam si gaudio non abundè potior, quod me adventus tui expectatione hic casus fraudavit; eò non omninò careo, quod provincia in te retinendofelicior fuit, quam ego in deducendo. Itaque hanc quidem dilationem boni sperati feram, & fortunæ adhuc gratias agam, si tandem aliquando redeat cum voto utriusque in gratiam, & te tantisper saluum & incolumem esse sinat. Satis tempestivè nobis redibis, si satis feliciter. Vale!

LIX.

TU quidem in mittendis literis nimium verecundus & parvus es.

M 5

Sed

Sed hujus facti imitator esse non debeo. Nam quamvis dulcedine quadam gloriæ commotus, actionum tuarum fortunarumq; omnium socius ac particeps esse nimis cupiam; Cultum tamen amicitiae & decus mea etiam parsimonia minuendum non puto. Verendum enim est, ne falsa hæc opinio laudis serpat longius & reliquis etiam amicis periculosam imitationem exempli prodat, si ab utroq; foveatur. Si quid igitur rationibus meis apud te loci est, svadeo, ut vel prodigentiam officii laudi isti frugalitatis longè anteponas. Ego certè non desinam in posterum, ut antè officiorum omnia momenta observare, neq; ullum prætermittam tempus tui colendi. Parsimonia tua ea lege contentus sum, ut reddas minus, quod à te erat præstandum. Mihi questuosum officium est, serere beneficium, ut metere fructum possim. Vale!

LX.

LX.

QVæris, in quo spes præcipua studiorum tuorum collocanda sit: Si verum audire vis, in te. In te ipso spem omnem eruditionis reponas necesse est. Vis doctus esse, stude, eris. Vis magnus & clarus esse, stude, fies. studio & labore nihil non efficitur. Nemo rei quamvis arduæ studuisse vehementius videtur, quin, quod voluerit, perfecerit. Studere autem hoc significat, optimis à pueritia disciplinis atq; artibus operam dare: operam diligentem, sedulam, nullaq; cessatione interruptam. Qui stadium currit, eniti & contendere debet, quàm muximè possit, ut vincat. Sic igitur age, quod agis, & tempori ipsi manum injice, tempore cito abituro, redituro nunquã. Neq; ætati aliud magis idoneum tempus. Hoc si amiseris, nullum unquam es reperiturus. Hoc igitur observa, hoc ordina & horæ unicuiq; opus suum

M 6

um

um assigna. Manè Pythagoreorum
mòre memoriam lectiunculis exer-
ce: Die medio egregium aliquem
habe, quicum omnia, quæ legeris,
una communices: Vesperis, quid toto
die dixeris, audieris, egeris, commemora.
Hoc modo discere omnia potes:
Hoc doctus, magnus & clarus evadere.
Effice, quæso, ne tibi consulenti me ista nequicquam svasisse
pœniteat. Vale! &, quod in primis
svadendum erat, pietatem, hinc probitatem,
modestiam & literas cole.

LXI.

P Ropinquo meo, viro bono, simplici & abhorrenti ab hoc usu forensi, lis est cum homine & in alijs causis exercitato & in hac sæpè multumq; versato. Contra quem cum ipse se per se defendere non possit, ad me confugit, à me opem auxili-umq; petit: Et jus propinquitatis me-umq; ipsius periculum me illi adesse jubet. Verendum enim est, ne hæc
causa

caussa ab illo non satis defensa magnorum nobis malorum causa existat. Rogo igitur Domine, ut hanc veniam precibus propinqui mei des, ut ego ipsius negotium per octiduum agere: meis, ut scriba tuus hoc interim spacio meum procurare possit. Spondeo, me, præter communem & incertum casum, quem neq; vitare quisquam nostrum neq; præstare ullo pacto potest, omnia præstiturum. Nam si quid me absente neglectum aut non ita quemadmodum oportebat, gestum fuerit, diligentia mea sarciam, intelligentia corrigam atq; emendabo. Vale!

LXII.

D Udum me domi tuæ vidisses non modò gratulantem, sed etiam læto vultu gratulantem, nisi contractio superciliorum tristitiam ex morte optimæ sororis perceptam argueret. Cur gaudijs tuis officio simulato officerem? Quid? quòd gratulationem
M 7 meam

meam spes majoris gaudii vendicat. Nam audio, honorem istum tibi quam primum multis partibus auctiorem fore. Cujus rei nomine vadimonium tibi promitto in modum veri & manentis gaudii. Nam quæ simulantur, celeriter tanquam flosculi decidunt, nec fictum quicquam diu est. Interea famam sperati boni literis tuis confirmari velim, ut, qui spe futurorum delector, fide presentium amplius gaudeam. Vale!

LXIII.

SCIO, quam sis hospiti hospes jucundus: atque ideo te rursus per literas invito, ut cum proximè in urbem veneris, apud me diverferis. Quamquam quid ego te tecto ac domo invitum, cui utrumque acceptum fero. Igitur potius rogabo, ut rebus tuis utaris & me ipsum tecum patiaris in eadem domo, sub eodem tecto diverfari, quamdiu hic commoraberis. Hospitem me habebis commodum

&

& non solum ad nutum & arbitrium tuum, sed etiam ad sumptus in domo tua participandos paratum. Libenter etiam omni impensa fungerer; sed cum ambrosia alendus sis, si pro meritis tuis tractari debeas; id ego quidem de me præstare non possum. Itaque ut dignè excipiaris, à tuis facultatibus rectius impetrabis. Vale!

LXIV.

CUI te muneri Princeps præpositum esse voluerit, ex literis tuis intellexi & fortuna tua vehementer letatus, Reipubl. gratulatus sum. Sanè ut gradum istum honoris jam pridem occupare debuisti, ita optimus princeps intelligere, decus non exiguum aulæ suæ deesse, nisi inter tot illustres & doctos viros tu quoque loco aliquo ac numero esses. Igitur cujus doctrinam & eruditionem antea suspeximus: Ejus in posterum splendorem venerabimur. Et, ut scias,

scias, quāti felicitatem tuam faciam, primo ejus nuncio à diuturno morbi squalore & macie in pristinae sanitatis decus surrexi, Ægrotavi, quamdiu tibi non omnia ex voto successerunt: valebo, quamdiu tibi ex sententia fluent omnia. Quod si tu quoque in prosperitate rerū omnium rectè valebis, vicissim adversæ fortunæ libenter obliviscar. Atque ideo ut semper optimè valeas, optabo. LXV.

Commodum ad te literas dederam de die matrimonii & nuptiarum mearum, cum is, quem misisti munus nuptiale exhibuit. Quod quā gratum mihi acceptumque fuerit, verbis dici non potest. Nam si quid honoris causa dones, impensè. Si pariter utilitati & necessitati consulas, impendio magis gaudetur. Nunc scire aveo, quā mox donum vestrum ipsi secuturi sitis. Nam à me quoque rationibus vestris jam provium est, ut nec vobis nec comitau i vestro

vestro apud me quicquam defuturum sit. Quod dum vobis apertè scribo, mihi nec inficiandi rationem nec defendendi facultatem relinquo: Cum literæ meæ vobis chirographi loco futurae sint. Vale.

LXVI.

Hic adolescens, quem vides, honesto apud nos loco ortus est. Patrem habuit omni eruditione & doctrina ornatissimum. Ipse bona indole præditus est, artiumque optimarum studiis eruditus. Rogavit autem me, ut tibi desideria sua commendarem: quorum hæc summa est, ut in civitate vestra consequi honesti muneris functionem possit. Ego verò malim de quavis alia re, quā de talibus nugis ad te scribere. Pudet enim me propemodum tam crebræ vel potius quotidianæ commendationis: quia quid aliud quā molestia utriusque nostrum alia super aliam contrahitur. Sed & officii mei est, hoc

hoc genus officiorum studiose juven-
tuti non recusare, & animum tuum, eos,
qui se in fidem & clientelam tuam
conferunt, rebus juvare, quibus po-
tes, omnibus. Vale!

LXVII.

PRO isto tuo erga me animo uti-
nam aliquando gratiam referre
possim! habeo quidem semper.
Nam non tam mea incolumitas, quæ
tibi multo maxima ex parte debetur,
mihi grata est, quam pietas in decla-
randa gratissima memoria benefi-
ciorum tuorum jucunda erit. Cæte-
rum ego quidem in amicis vel deli-
gendis vel colendis homo infelix
sum: dum semper alicujus vel inima-
turum interitum vel subitam defe-
ctionem deplorare & conqueri ne-
cesse habeo. Cum Biorenclavio si-
mul sacra mihi anchora periit. A
Frisio autem & Molino, cum planè
à nobis defecerint, quid aliud, quam
gravem inimicitiam & acerbum
odium

odium expectem! Taceo alios, quo-
rum pravitatem & injurias sine pu-
dore meo commemorare non pos-
sum. Quippe ut incommoda ista evi-
tarem, summa cautio atque una pro-
visio erat, ut ne nimis citò diligerem.
Sed nosti facilitatem meam, quæ mi-
hi non semel fraudi fuit. Posthac
cautius mercari discam. Tu valebis
& quod facis, me talem porro ama-
bis charumque habebis. Vale!

LXIIIX.

JURISPERITORUM judicium & notio
fuit, jura & leges recognoscere.
Hanc provinciam mihi dedisti. Mos
gestus est imperatis; vel quod tuæ
obedire voluntati omnino debui, vel
quod non omnino abhorrentia à stu-
diis nostris visus es imperasse. Habes
rationem consilii: nunc cognosce de
cura & labore nostro. Leges, quæ
in singulis sectionibus, quas titulos
vocant, admodum paucae erant, con-
duplicavimus, ne nimium liceret li-
bidij.

bidini iudicis : totum opus ad normā juris Svedici, quoad ejus fieri potuit, reformavimus: pœnam arbitrariam, qua plerumq; jugulari minus gratiosi solent, ad certam & communem multam reduximus. Hactenus de cura nostra cognoscere debueras. Restat, ut imperes, quid me in hoc negotio porro facere velis. Quo facto tantum adjiciam cognitioni tuæ, quantum accessisse ad perfectionem operis ipse cognovero. Vale!

LXIX.

Qui cultum amicorū contemnendum putat, is convellit vincula non tantum amoris, sed etiam summæ conjunctionis. Ego, tantum abest, ut negligentia mea aliquid ex eo, quo tibi obstrictus sum, laxari velim, ut assiduitate scribendi tibi arctius constringi cupiam. Sed accidit plerumq; præter voluntatem meam, ut, cum data quavis occasione libenter scribam, occupationibus vel va-

tudine

tudine constrictus pauca scribam. Ergo animi mei certus hanc quoq; brevem salutationē æqui boni facies & invicem reddes, quo de te gaudeam, &, si ita censes æquum esse, æmulaberis brevitate. Quæ quamvis non omne officium muneis expleat, amicitia tamen satisfacit. Ego certè ut sermonis tui cupidissimus sim, conficius contractionis meæ, non audeo à te productiores literas postulare, Vale!

LXX.

Rumor erat, te ad urbem propius adeste. Conspectum tuum spe summa præceperam. Postquam extenuari spem istam & evanescere vidi, animadverti, id mihi solatii superesse, quod desiderium tui crebris & longis epistolis leniri potest. Functor itaq; sic breviter religione officii, teq; oro, ut mutuum sermonem non invitus reddas, aut, si fieri sine incommodo tuo potest, pro sermo-

ne

ne aspectum largiaris. Est enim non levis causa, quæ præsentiam tuam flagitat: appropinquatio sponsaliorum meorum, ad quorum officium te jus proximitatis: & convivium, ad quod prærogativa amicitiae invitat. Vale!

LXXI.

UT me amicorum adventus levat, ita subitus illorum discessus & præceps profectio affligit. Sed Barones meos, qui nunc ad te proficiscuntur, ad me contendere puto: existimans, non longinquum iter, non digressum fore, cum sciam, reditum tuum propinquum esse. Itaque non hic iudicem sequestrem congressus vestri, non mediam colloqui manum desidero. Nam neque illi soli suavissimo aspectu tuo fruentur, neque tu sermone illorum: Quia utriusque fructus sicut mihi communis esse debet, ita propediem, ut spero reddetur. Atque ideo illustres pueros æquio-

æquiore animo dimisi, quod illos statim & de communi adventu & de actis vestris literas missuros confido: sed quas mox ipsi sequamini. Vale!

LXXII.

PRO beneficio habeo, quod otiosum & nihil agentem mandatis tuis interdum ad laborem & laudem excitas. Sed hoc ex celeritate, quam in exequendis negotiis tuis adhibeo, ipse conjectas. Magis igitur ad testimonium grati animi, quam ad ostentationem studii ea, quæ proximè mandasti, curavi. Sed hoc ipso me dignum esse arbitror, cui sæpius aliquid mandes: cum tua omnia libenter recipiam atque efficiam, quasi obligatus ipso labore, hoc est, remedio otiosæ & nimix cessationis. Vale!

LXXIII.

Valdè delector assiduitate literarum tuarum & abundè ex iis lætitiarum usurpo. Nam semper mihi aliquid grati muneris & beneficii conferunt.

Ego

Ego autem non par pari, quod decebat, sed, quod minimè decebat, factis verba rependo: quæ liberalis & ingenua mens tua non aspernatur, ut ea sibi perinde quæstiosa ducat. Igitur tibi hanc operam libenter & largè exhibeo, quia video te eam non minus, quam rem ipsam gratam acceptamq; habere. Eadem fiducia Regi & Domino meo pro isto in me animo per literas inclusas gratias egit, quas si pro tua singulari fide & erga me mihi perspectissima benivolentia Majestati ejus opportunè insinuaris, non indignus, ut spero, judicabor, cui benignissimus Princeps sæpè benè faciat: Cum beneficia sua apud memorem & gratum poni intelligat. Vale!

LXXIV.

SCis quantum inter se homines studiis & moribus omniq; vitæ ratione differant. Quare non ex ingenio factisq; cæterorum, qui discipulos dimidio

midio reddunt stultiores, quàm acciperunt, hunc quoq; juvenem, quem commendo, judicabis. Est enim re-
ctissimis studiis & artibus præditus: nec infimo loco aut infima sorte natus; sed ex ampla & honesta familia Horstiorum. Quæ domus quid utquam vidit nisi pudicum, nisi ex optimo more & disciplina? Igitur non sum veritus doctissimum & honestissimum juvenem prosequi testimonio literarum. Nec præclara mens tua de studiis & moribus ejus dubitabit, cum eum videat nobis suffragantibus à pluribus probari. Sed de hoc satis. Nunc mihi ipsi precatorem optem, qui mihi sic oret: Noli, quæso, tui amantissimum atq; diligentissimum studio literarum tuarum contabescere: quarum desiderium infrequentia ipsa incendit, frequentia autem sola lenit ac mitigat. Vale!

LXXV.

Homines mei ordinis nunquam de
N rebus

rebus ad usum domesticum necessariis vectigal solverunt. Indignum enim majoribus visum est, eos, qui animo pro cæteris excubant, nec emendi vendendiq; lucro ducuntur, immodicis exactionibus ac tributis obnoxios esse. Nunc tamē publicani penè totum nummum aureum (ductatum vocant) in singula vasa carnis falsæ portorii nomine à me exigunt: quod vectigal soli negotiatores, ut potè quæstum facientes, agnoscerere debent, si debent. Quippe ardua adhuc quæstio est, an ordo publicanorum omnibus rebus, quæ vel in civitatem importantur vel ex ea exportantur, portorium imponere possit, quod vult & quantum lubet, nisi Princeps autor fiat. Olim id non liberum fuisse vel inde patet, quòd Civitas etiam de esculentis & poculentis vectigal exigere non nisi concessu Pontificis Romani est ausa. Quò etiam respexisse Serenissimus Rex

vide-

videtur, cum in scripto quodam vectigal increpuit immodicum, quod portitor urbanus de cerevisia WisMariensi, sine permisso ejus & serenissimorum Antecessorum per complures annos exegerat. Nunc hoc negotium justitiam tuam expectat. Cohibe, quæso, libi linem istorum hominum & incommodis nostris damnisque medere. Nam ad prærogativam officii tui pertinet, cum privilegia hujus ordinis tueri, tum præsidium innocentie præstare, Vale.

LXXXVI.

NON rectè quæstores aliquid de salariis doctorum detrahunt: qui, dum ingenia puerorum ut molliissimam ceram formant ac fingunt, operam suam gratis inpendunt & solo isto subsidio nituntur. Hoc olim rogatu Hallenhorstii apud te defendi: Nunc Bergii, doctissimi & humanissimi juvenis, par necessitas flagitat, ut eadem ista iterata scriptione exo-

N 2

rena.

rem. Quæso igitur, ut iniustitiam
ratiocinatoris tui, qui ab illius salario
plus dimidio abstulit, iustitia tua co-
hibeas & damna clientis recidas.
Nam & ad existimationem tuam
pertinet, præceptorum salarium inte-
grum persolvi, & ad commodum fi-
lii tui, cuius cupiditati discendi im-
munitas præstatur. Vale!

LXXVII.

Postulatum commune de libera
exportatione earum rerum, quibus
abundamus, tibi commendare
non debeo: cum sciam, te jam in ea
cura cogitationeq; versari, ut voti
ejus nos compotes reddas. Verum
enim verò ex ea indulgentia tot uti-
litates & commoda non civitas so-
lum, sed tota provincia sperat, ut gra-
vitate istius petiti silere non pos-
sim. Itaq; rem maximi momenti &
ponderis, tibi à plurimis commen-
datam, quæso me petente dili-
gentius curare digneris: Consultu-

rus

rus ea opera & laudibus tuis, quæ
uno omnes ore celebrabunt, & meo
interventui, quem simul civitas &
provincia sibi non nihil profuisse pu-
tabit, si, quod spontè facturum eras,
me hortante celeriuscule feceris.
Vale!

LXXIIX.

EX silentio tuo nescio, quid sto-
machi & querelarum concepe-
ram. Sed missa post longum inter-
vallum pagina iram in gratiam ver-
tit. Ea quippe vis est veræ amicitia,
ut, si quid offensum sit, quavis etiam
modica satisfactione mitigetur.
Quid? quod tu epistolam tot condi-
mentis humanitatis imbueras, ut nul-
la offensa tanta committi possit, quæ
hoc modo non facile placetur aut le-
niatur. Verso igitur stylo comis &
humanus sum, qui stomachosus &
subiratus esse meditabar. Hoc au-
tem præmium facilitatis meæ à te
pacifcor, ut posthac amicitia mune-
ra diligentius expleas. Nam si scri-
benda

N 3

benda

benda defuerint, mihi satis erit, si me simplici salutatione imperas. Vale!

LXXIX.

Qui hastibi redditur, est proficiscitur probo navigio, quod Gronenternius noster hic sumptu suo edificavit & Regi vendidit. Illud rebus omnibus instructum & ornatum hodie anchoras solvet & vela faciet: utinam recto cursu & felicius, quam hic stationem habuit. Quippe ventis septentrionibus jactata, parum absuit, quin in conspectu castelli, quod ad ostium fluminis est, interiret. Duras anchoras jecerat & nihilominus vi ventorum & fluctuum raptabatur ad brevia & littas. Nec ulla ope humana aut consilio effici poterat, ut e praesenti naufragio eriperetur. Spes omnis in tertia & ultima anchora erat. Quae commodum jaciebatur, cum ventus vehemens & tempestas immoderata paulisper consideret & non nihil de aestu & fervore suo remittit.

mitteret. Ita praeter spem omnium navis est maximo periculo naufragii salva enavigavit. Scio, hoc tibi non minus gratum esse, quam mihi: atque ideo id pluribus verbis ad te scribo. Vale & me de appulsa navis quamprimum certiolem redde.

LXXX.

Tantis tuis beneficiis affectus, munusculis colere & tueri amicitiam didici. Sed cum impar opibus, par liberalitate esse non possim, facio, quod necesse est, ut magis voluntatem deferam, quam vicissitudinem rependam. Tu, quae aequitate es, animi potius propensionem, quam imbecillitatem virium considerabis. Quippe in ceteris rebus pari me studio erga te & constantia eadem esse cognosces. Vale!

LXXXI.

Scribis, celerem tibi reditum fore, & mihi, ut ad omnia, quae quaeris, diligenter rescribam, imperas. Ergo

tota res etiam nunc fluctuat? Nam quorsum expectatio responsi nostri pertinet, si maturas venire? Quippe si accelerare velles, antè tu me hic opprimeres, quàm ego omnia tua mandata exequerer. Quare, ut aptè inter se & cohærentia scribas, & te venire nuncia & me rescribere vetas, ne frustra scribam, si jam in via es. Hoc sanè desideria amicissimorum tuorum, hoc vota clientum, hoc tua ipsius utilitas postulat. Quid dicam de disputatione candidati nostri? quæ etiam si oppugnatores jam suos habet, requirit tamen studium benevoli applausoris. Vale!

LXXXII.

Q Vemadmodum Oceanus, qui sua natura tranquillus est, vi ventorum facilè concitatur & permovetur; ita pacatissima civitas motu seditionis civis citò turbatur & miscetur, omniaq; infima summis paria fiunt. Sed sedare motum animorum omnia

omniaq; unde dejecta sunt, restituerent, non omnium, sed magni cujusdam & alti viri est. Ne igitur cujusvis unius consilio & ope tranquillitatem civitati reddi posse existimes. Deus Opt. Max. orandus, ut cum nobis pacificatorem exsuscitet, qui omnia sua consilia ad gloriam Divini nominis & proximi salutem dirigat, quiq; has discordias intimo odio & corde conceptas ita componat, ut simul omnes seiventur. Tuæ quidem literæ nuper spem tranquillitatis ostendebant: quam rescriptum Principis nobis non modò confirmare, sed etiam persuadere videbatur. Sed, qui decreto illo de gradu, ut ajunt, dejecti sunt, recuperationem pristini status moliantur: nec pars adversa de jure suo latum culmum decedit. Quare non immeritò vereor, ne nova procella impendeat civitati, novusq; tumultus ex ipsa compositione oriatur. DEUS hoc prohibeat, salutem

N 5

publ.

publicam tueatur ac defendat. Vale!

LXXXIII.

SI omnia, quæ facio, arbitrio meo facerem, nec aliquando invitus adigerer ad faciendum, quod sponte mea nunquam essem facturus, mallem tibi neminem commendare, quam committere, ut ex commendatione mea aliqua tibi ad augendas vitæ molestias accessio fieret. Sed interdum hæc officia, in quibus præstandis alioqui verecandus & parcus sum, mihi extorquet necessitas. Illud cavere soleo, ne tibi ignotos aut incertos, minimè autem malos & improbos commendem. Qui has tibi reddidit, vir est ad docendū concinnus, perfectus & politus è schola. Diu hic juventutem cum cæteris artibus, tum imprimis eloquentiæ studiis erudit. Quos labores affecta jam ætate diutius sustinere nequit. Quapropter officium aliquod in patria quarere constituit. Atq; in eo quidam

dem facit, quod omnes solemus, ut optet domi apud suos consenescere. Quod mihi uni contingere posse despero, etsi id sæpè multumq; optavi. Illi optati hujus potiendi spes major est: quæ ne ipsum quoq; fallat, te rogo, ut desideria ejus, quantum potes, juves atq; promoveas. Vale!

LXXXIV.

TU verò desideriis meis porrò adversare: amicorum etiam commodis, quæ commendo, ultrò repugna. Efficiam quandoq; ut odiosa obstinatione decedas. Nam si, quod auferre cupio, exorare cum bona gratia non possum, litibus id & jurgiis extorquebo. Interea maximum periculum & penè extremum discrimen existimationis subeo. Nam tamen nondum securus de tua erga me meosq; voluntate, Raschiū tibi meum commendare non differo, eundemq; in sacrarium amicitiae tuæ promptus myltagogus introduco.

duco. Sed aurium tuarum sensum fastidiosissimum veritus, verbo illum laudo. Vir probus est, & tam bonus, ut meliores mihi amicos non optein. Verum præstantiam ejus labores pacis & belli, hoc est, studiorum & militarium stipendiorum, me quoq; tacente, loquuntur. Et ut istæ non sint, fas non est, si amicitiam nostram non planè exuisti, ut, viso testimonio nostro, illum tanquam ignotum & incognitum tractes. Vale!

LXXXV.

ET cultum literarum tibi quavis occasione libenter exhibeo, & grates referre, si quando obsequium meum mutua remunerare salutatione dignaris, non differo. Sed hæc non oportet ambitiosius dicere, quam res postulat & amicitia nostræ, quæ ostentationem nullam admittit, patitur. Nunc te exorem necesse est, ut curam ejus juvare digneris, cui opuscula varia, quæ tempore Lutheri

& Erasmi pro tuenda Religione nostra & contra illam scripta sunt, cõmendainjuxi. Nam quia non extant, per veteres bibliothecas aliquo labore conquirenda sunt. Uterer oratione blanda & quadam quasi lenocinante mercede, nisi apud verècundas aures simplex petitio efficacior futura esset. Velim tamen sic habeas, me nunc quidem in petendo verbis nudis & vulgaribus usum, sed, post adeptionem speratæ operæ, gratias agenti accurarum & exquisitum dicendi genus non defore. Vale!

LXXXVI.

Nescio, quo ore meam circa te parsimoniam arguere aut avaritiæ mihi crimen impingere queas, si tuam erga me liberalitatem non probas. Quid, quod hujus tibi criminis fortasse justius subeunda est verecundia? qui, cum circumfluis omnibus copiis atq; in omnium rerum abundantia vivas, nunquam me

N 7

die

die meo natali munusculo colueris, nunquam mihi initio anni apophoreta, nec aduenienti pilum unum Xenii nomine miseris. Nostræ autem copiolæ, quæ extenuatissimæ sunt, quid aliud honori aduentus tui conferre potuerunt, quàm Xeniolum, quod misimus, vini cenophorum ætate jam pretiosi? Sed nec tantum quærimoniæ meretur unius occasionis minis accurata observatio, quantum quotidianæ bene de me merendi opportunitas tibi ex neglectu nostri inuidæ contraxit. Verùm hujus quidem delicti sit venia par apud utrumque: quamvis causæ ejus impares utrique fuerint. Posthac, si sapias, & ipse crebrò missis munigerulis observantiam neglecti officii instaure & prolixa largitione ad similem me prodigentiam iuua. Vale!

LXXVII.

Rides, ac nescis, an jure possis. Dixi, civem arumnosum, infelicem, misc-

miserum, de quo sermo erat, animo possidere bona, quæ ipsi iudicis sententia nondum adempta essent, tametsi dominio fructuq; illorum curuisset. Quod sanè verbum mihi non excidit, ut sapè fit, fortuito, sed quasi meditatam cogitatumq; protuli. Tu, tanquam si absurdè aut ineptè locutus essem, tibi à risu non temperabas. Quo quid facere ipse poteras putidius: Quippe vetus interpretis juris & legum, sine aliqua nota pudoris ignorare non poteras veterem & usitatam distinctionem possedendi, quæ aliquis animo vel corpore possidere dicitur: corpore, cum rem adhuc in sua manu & potestate habet: animo, cum eam vel casu vel injuria amisit. Quæ possessio propriè in animo consistit: unde quibusdam intellectualis: utraq; Philosophis moralis & Physica dici solet. Sed hoc genus dicendi majori cum laude aliquis in schola sub magistro sedens, quam inter-

Interpres & administrator justitiæ, in dubium incertumq; vocasset. Mihi vitio verti non potest, quod paucis verbis ostendi, me nihil, quod risu adeo dignum esset, dixisse: sed contra ad rei dignitatem aptè & quasi decorè locutum. Quod si tibi itidem videbitur, facilè exorari me patiar, tecum in gratiam ut redeam: sin, nihil etiam irascor. Te tantum ad aurem admonitum volo, ut caveas in posterum, ne quem antè rideas, quam scis, an jure possis. Vale.

LXXXIIX.

INter cætera amicitiae commodas, literarum quoq; affectandum commercium est. Et fortasse majori studio familiarium sermonum jucunditas, quam utilitates rei familiaris appetendæ: quia has interdum etiam casu & sine judicio cum amicis communicamus; Consilia & cogitationes nemo repentina aliqua voluntate aut temerè impartit. Optarim igitur

ut

ut cæteris amicitiae tuae fructibus, quæ per se magni sunt, tui assiduitas sermonis accedat. Mihi certè diligentia nunquam deerit, quæ curam tuam styli vicissitudine exæquet. Vale!

LXXXIX.

SI quis diligenter & tempus cum tempore voluerit & rem cum re comparare, officia tua non ineptè mundinis solennibus contulerit. Nam ut illæ singulis recurrunt annis; ita literæ tuæ tempus ac diem anniversarium non fallunt. Has certè productas & multis verbis scriptas Bibliopola Lipsiensis mihi eodem die, quò ante annū breves & frigidas illas, reddidit. Itaq; tu quidem nunc unis literis totius anni res gestas ad me perscribis. Ego officio tuo vel idè libenter acquiesco, quòd ex paginis istis & te valere intelligo, & alloquio tuo, quamvis sero ac procrastinato, vehementer delector. Nec me puto

in

in respondendo à te imparem iudicari: qui singulas paginas tuas singulis plerumq; foliis meis compenso. Faxit DEUS, ut pari modo iste amicitie nostrae proventus multiplicato annorum recurſu compenſetur. Val.

XC.

DOMUM alicuij venditare, in summis quondam officiis ducebatur. Quid obstat, quò minus summè in te officiosus existimer? qui & te absentem in primis colo & domum tuam frequenter atq; a deò quotidie venio. Scio, me plenum laboris negotium gerere, qui assiduitate officiorum vicissitudinem dignationis à te mereri contendo. Sed non piget, ante solutionem, religiosum scenus iterare. Nam propediem tibi prandium condicam, & ut tantò officiosior videar, mecum amicos aliquot adducam, qui te non minus, quàm ego, colunt ac diligunt. Erit potestas tua, hunc animum vel pari dignatione tibi arctius

conr

constringere vel neglectu officiorum abs te alienare. Vale!

XCI.

CUM molestias ruminor, quas olim in causis civium disceptationibusq; devoravi, procul ab aulae negotiis curisq; abesse delectat: Cum consuetudinem vestram, cujus memoria & recordatio mihi jucunda sanè est, intueor, ve biseum esse nimis cupio. Itaq; duobus incommodis inter se maximè diversis, hic absentiae desidero, illic tædio praesentiae conficior. Unum utriusq; incommodi allevamentum literas esse arbitror, quarum beneficio & ego tecum possum, nullis litibus implicatus, colloqui, & tu exemplo meo ad scribendi assiduitatem invitari: Cum videas in unis literis innoxium absentiae solatium esse, praesentiae etsi jucunditatis plenae, semper aliquid molestiae aspergi. Vale!

XCII.

XCII.

Non gravatè nostræ conjunctioni amoriq; satisfacio. Nam video te quoq; amicitiaë officium & jus libenter præstare: quanquam tu quidem opera ac studio nostro non eges: ita nempe virtute & sapientia munitus, ut amicitia aliorum sine periculo careas. Quare imputare non possum officium, quod ex debito reddidi. Ipse enim causa diligentiaë nostræ fuiti, quam scribendi perseverantia provocasti. Vale!

XCIII.

Homo non literis ad rei militaris scientiam, sed stipendiis & rebus gestis eruditus has à me literas impetravit. Nam cum jam ad bellum & castra ventum sit, malui Excellentiaë tuæ hominem veterem militiaë, quam novum & incognitum commendare. Rem autem factu facilem, sed ad utilitatem tribuentis magnam, deposcit: Reddi ordiibus, quos

quos olim sub auspiciis Reginaë Christianaë duxit. Scit prudentia tua, quid inter rudem & doctum, tironem inter & veteranum, differat, quantumque in acie utriq; illorum committendum sit. Impetrabit igitur rogatu meo, quod petit, cum id non tam nostræ, quam salutis publicæ intersit: quam Excellentiaë tuæ scio inprimis curæ esse. **D**Eus Excellentiam tuam salvam & ad bellicos usus valentem diu servet!

XCIV.

Unis literis bina mihi negotia commendasti: Totidem nuper oratu tuo suscepta transegi. Nesciebam enim, facilitate mea amplius mihi negotii contrahi. Pergis verò tanquam ex syngrapha mecum agere, ut, quod officium admonitu tuo uni & alteri præstiterim, idem reliquis debeam? Verum te mihi gratiam cumulatissimè relaturum scribis. Sæpe

p̄ idem promisisti : Etego speravi,
 quæ mihi merenti receperas & ultrò
 pollicitus fueras, sanctissime esse ob-
 servaturum. Nihil jam moror pro-
 missa receptaq; tua, quæ, quia mihi
 verba in hoc dari facile patior meq;
 libenter præbeo credulum, sæpius
 iteras. Perpetuone spe & promissis
 nos tenebis? Scio parcos & tenaces
 esse senes : At cum pravitas animi
 plerumq; cum ætate non minuitur,
 sed crescat, certum est, delictum con-
 sectari, poscere atq; adeo flagitare,
 priusquam te magis avarum longior
 dies faciat. Vale!

XCIV.

EXpecto, quid perpetua ac con-
 stans voluntas Principis, quid ratio
 salutis publicæ, quid tua diligentia
 & studium, si meam rationem ean-
 dem ducis, quam tuam, efficere in
 commodum civium meorum possit.
 Ego causam illorum, laudem con-
 stantis & fidelis advocati aucupans,
 uti

uti olim sermone, ita nunc scripto
 commendare non desino. Nihil e-
 nim præclarius aut præstantius judi-
 co, quàm bene de rebus communem
 utilitatem continentibus, quas publi-
 cas appellamus, mereri. Video au-
 tem rem testudineo gradu procede-
 re, nostrumq; defensorem lentum in
 agendo ac penè frigidum esse. Quid
 facias hoc homine, quem non autori-
 tas Regis, non spes laudis, non metus
 ignominie astringere potest, ut fi-
 dem colat? Adversarios porrò audio
 id sperare atq; moliri, ut, quod ego
 & tu communi consilio egimus atq;
 perfecimus, corrigatur, & reliqua
 causa in aliud tempus differatur. Su-
 perius tuum est, ut famam & caput
 tuum tueri atq; defendere. Hoc ut
 prudentia Mæcenatis aliorumque
 optimatum, illo adnitente, prohibe-
 at, interest salutis publicæ. Fidelis
 advocatio laudem perennem con-
 ciliat. Vale!

XCVI.

XCVI.

GAudeo id te à me petere, quod ego pridè mea sponte facturus eram, ni subito casu prohibitus fuissèm. Cui rei testimonio sunt literas, quas nudiùs tertius ad te misi. Quamquam tu animi mei securus vel assertioni meæ libenter credis. Nunc quia fortunæ meæ conditiõ à lætis contentibus abhorret, ne in his malis sine remedio & allevamento maneam, tuum est, ejusmodi oblectamenta suppeditare, quæ mœstum & conturbatum animum cura & ægritudine expediant, quæ solatia & fomenta sint non mediocrium dolorum. Quid opis à te petam, intelligis: Scilicet ut me de omniratione fati, cœcus hic casus volubilitasq; fortunæ adscribitur, edoceas. Nam ista necessitas, quam rationem habere non satis perspicio, vim & eventum agnosco. Vale!

XXX

XCVII

XCVII.

JAm diu in spe fui expectatissimi sermonis tui, ut scirem, quæ caussa silentii diutini ac propè annui fuerit. Sed postquam satis nostræ expectationi officioq; tuo fecisti, sollicitudo animi & timor in securitatem lætitiæq; vertit. Ita namq; ratio comparata est vitæ naturæq; nostræ, ut boni diu optati impetratio veterem querelam multis condimentis humanitatis mitiget ac leniat. Complectus igitur sum cogitatione te absentem: Epistolam verò osculatus & ipse mihi gratulatus sum quasi postliminiò recuperatam amicitiam tuam præstabis, ne hujus opinionis falsus habear, cum eum animum frequentibus in posterum officiis declaraveris. Vale!

XCIIIX.

Cognosce nunc obsequium meum, si obsequium appellanda est impudens gratificatio. Sæpè me orasti

O

orasti

orasti, ut viros bonæ frugis in amicitiam ac familiaritatem tuam insinua-rem. Hoc cur tibi non gratificer, nescio; Præsertim cum amicus, cui DEUS comitetur, idem à me petat & summè contendat. Non homo novus & incognitus est, sed fide & exercitatione militiæ compertus. Quò facilius hanc à me commendationem abstulit. Quod si præterea studia humanitatis & eloquentiam affert, non aspernaberis: si non habet, non admodum flagitabis. Quippe non tales nos Natura genuit, ut idem præstare pluribus rebus possit. Egregius putandus est, qui aliqua arte aut facultate excellit, veramq; bene vivendi rationem tenet ac persequitur. Vale!

XCIX.

ABundo lætitia, postquam ex iis literis, quas mihi Curio à te reddidit, intellexi, te maturè in castra Wrangeliana pervenisse & adhuc ex-
sen-

sententia & voto omnia egisse. Cujusmodi nuncio ut me sæpius exhilares, valde quidem opto: Te tamen, ut id facias, monere non debeo: quia quicquid in amicitia est, verum & voluntarium esse decet. Vale!

C

ET vitæ tuæ gravitas in ore multorum est, & singularis humanitas suavissimiqve mores. Hinc fit, ut omnes te observantia pariter & amore suo dignum judicent. Ego quamvis de præstanti virtute & meritis tuis idem sentiam, multò tamen judicio publico, quàm meo, stare malo. Atq; ideo non invitus fateor, jamdudum me communi fama & sermone omnium provocatum esse, ut amicitiam tuam non desiderem solum, sed etiam his literis expetam atq; flagitem. Quod si tu à me audacius factum existimas, humanitati tuæ attribues: si cupidius, amoris,
O 2 quo

316 CENTURIA TERTIA.

quo te jam totum complector. Ergo si hunc animum non repudias, fac, quaeso, ut ex benigno responso te eadem erga me voluntate esse cognoscam. Lætitiam apertè feram, si beneficiis ultrò citroq; datis & acceptis, tuus erga me amor meusq;ve erga te par atq; mutuus habebitur. Vale.



CHRE-

☞o(317)o(☞

CHRISTOPHORI GERTNERI

a

GARTENBERG

EPISTOLARUM

FAMILIARIUM

CENTURIA

QUARTA.

AD

DIVERSOS.

I.

U Olupe mihi est, eos frequenter affari, qui in artium studiis liberalissimis sunt doctrinisq; versati. Sed, dubitans plerumq;ve & extemporalitati meæ diffidens, ubertatem orationis & adjumenta dicendi vel mutuari ab aliis soleo, vel recurrere ad veteres copiolas meas: quas verè sic appellare possum, quòd & extenuatissimæ sunt & inopia omnium rerum pessimè

O 3

mè

mè acceptæ. Sume igitur sermo-
nem unum & alterum à me antea per
otium, cum nihil haberem, quod po-
tius agerem, inchoatum: quem à Te
ita legi velim, ut exilitatem styli no-
stri tua in dicendo ubertate & copia
farcire memineris. Vale!

Paraphrasis precatonis, quæ belli
hoc tempore in Svecia & annexis pro-
vinciis publice præle-
gitur.

Domine JESU Christe, Autor &
Princeps pacis & concordia, qui
pacem animi nobis, qui conscientia
tranquillitatem parasti: propter
quod laudes Tibi Patriq; & Spiritui
perennes dicimus. Tu quidem pro
tua in nos admirabili indulgentia &
benignitate, ut pacem adhuc tutam
tranquillamq; traheremus, nobis be-
nignè largitus es; Sed nos divinum
& caeleste beneficium aut non intel-
leximus, aut eo ad libidinem nostram
multimodis ingrattè & impiè abusi
sumus;

sumus. Qui possis, O DEUS, non
irasci, & iram tuam testari stul-
titiâ nostram puniendo? Hem!
nos homunculi indignamur & mole-
stè ferimus, si quis beneficio nostro
non utitur rectè, aut ejus ingrattè ob-
liviscitur. Cur non DEUS indignetur,
& contra nos non solum improvidos
& ingratos, quod ipsum grave est, sed
etiam impios exardescas? Omnino
irasci servisti tuis DEUS non temerè
soles. Sed evicerunt peccata nostra,
ut nunc tandè irascereris, Nam nunc
tibi animus ardet, nunc tuum cor cu-
mulatur ira: ut nobis pro summa pa-
ce, pro summa tranquillitate, bel-
lum terra & mari immittas. Parce,
O JESU, supplicibus, dum perdere
potes: Noli Redemptor perdere,
dum parcere adhuc tempus est. Igno-
sce nobis hunc animum improvidum,
ingrattum & impium, ceteraq; pecca-
ta, quibus ad perniciem nostram
micronem indignationis tuæ exacui-
mus.

mus. Nos stultitiæ nostræ jam pœnas pendimus: Has tu, Redemptor, minue, & severitatem acerbam multis condimentis clementiæ, lenitatis, misericordiæ mitiga. Hostium numerum, fraudes, acerbiter vides. Qui anteà cuniculis oppugnabant, nunc evoluti illis integumentis simulationis suæ apertè nos petunt. Serò igitur resistimus iis, quos patientia nostra contra nos aluimus. Resistimus tamen, quoad ejus possumus, non armis nostris, non milite confisi; sed partim innocentia muniti, partim conscientia officii nostri, erga hostes ipsos, nixi, plurimum ope tua freti. Nam quantum spei in præsidio aliorum positum habeamus, à plerisque deserti, magno nostro malo comperimus. Tu igitur solus fiducia nostra es, tu spes certa in tam subitistamque angustis rebus. Tu primus afflictis & laborantibus dextram porrige; Nam Te Duce ibimus

con-

contra, & pugnabimus: Te propugnante oppugnatores salutis nostræ proteremus & conculcabitur. Tu copiolas nostras cælesti felicitate roboras: Tu classiculam nostram robore firmo felicitate & fortuna. Dubitantibus fidele consilium, laborantibus certum subsidium ostende. Contra autem hostium consilia primum, deinde acta, postea eventus confunde, animis timorem & metum injice: ut in laqueos, quibus nos irretire atque implicare gestiunt, primi incidant, & ipsi mirentur, quid illud tam triste, qui ille pavor, quæ illa tam subita formido sit. O DEUS! fortitudinis nostræ tu decus, tu victoriæ fundamentum es; Potens manus tua & invicta dextra tua. Hac nos tuere, hanc ad omnes impetus hostium quasi quendam murum igneum oppone: ut ad villulas nostras, firmissimo Angelorum præsidio septas, nullum damnum & incommodum accede-

O s

cede-

cedere, naviculis nullæ procellæ, imbres, nimbi, cæteraq; tempestatres, naufragia, ruinae, incendia nocere possint. Et quoniam tu solus es is, qui finire bella, sedare discordias, comprimere tumultus, potes; suscipe, quæsumus, curam & cogitationem dignissimam providentiæ tuæ: ut, sedatis certaminum & dimicationum fluctibus, & tempestate belli discussa, pax Orbi universo redeat: pax, quæ nihil habitura sit insidiarum, quæ pia & æterna sit, quæ animos paciscentium vinculo perpetuæ amicitiae jungat, liget, devinciat. O pacis dulcissimum & pulcherrimum nomen! Largire, O DEUS, Regibus & Principibus terræ animum intelligentem felicitatis suæ, gnarum autem & providum impendentium malorum: ut intelligant, quàm jucundum nomen pacis, quàm res ipsa salutaris sit. Corda Principum in manu tua sunt: Hæc, O DEUS, ad concilian-

ciliandam pacem & Christianam concordiam torque & flecte: Ut aliquando etiam pacifica persona audiatur, nec semper in bellatore sint omnia. Da Pacem Domine in ditibus nostris, felicitatem Regi & omnibus Ordinibus: Ut Te DEUM Pacis & Concordiæ, & in hac terra quietis & tranquillitatis plena, sincere colamus, & tandem, in perpetua pace & cælesti requie, æternum intueamur, teq; fruamur. Amen!

II.

Vota piorum DEO curæ esse, germen lætissimum, quod arbor florentissima Conjugii vestri feliciter emisit, testatur. Quippe olim vos & omnes boni vota faciebatis, ut bonis initiis orsi felicem hunc exitum haberetis, h. e. ut amabilissima Conjugii & facili partu foecundum pondus deponeret. De me dicere nihil attinet: quanquam majore religio-

ne, quàm quisquam fuit ullius voti, Deo immortalis eo nomine obstrictus fuerim. Illud tamen sine piaculo taceri non potest, me, intellecta magni & præpotentis Dei erga vos benignitate, non tantùm vestra, sed mea quoq; atq; adeò bonorum omnium causa non mediocriter gavisum esse. Causa amabilissimæ Conjugis tuæ, quòd edito fœcundi conjugii pignore, fructum laborum suorum, coreculum tenerrimum, filiolum dulcissimum, suis suaviter aridentem gaudiis videt, eundemq; mox videbit ludentem in gremio suo, & charissimo genitorum ille blandimentis obstrepentem: Tua, quòd robur & decus familiæ atq; nominis, quod in illusterrimo fratre jam nutare & propè cadere vidimus, novo sustentaculo fulsisti: Mea deniq; & tot bonorum causa, quòd hoc felicissimo partu, quasi participes ejusdem felicitatis, pariter omnes recreati sumus:

quem

quemadmodum prosperitati domus tuæ omnes ex animo favemus. Faciat DEUS, ut hoc gaudium vobis perpetuum sit, atq; indies augeatur, cum florentissimæ arboristuta atq; integra conservacione, tum felici educatione viridissimi germinis! Et quoniam sacris, quibus charissimus filiolus initiari debet, me quoq; sive testem, sive precatorem, interesse jubetis, eundem ter Opt. Max. oro, ut pro eo in me animo vos altera tanta felicitate identidem muneretur, augeat, locupletet. Valet!

III.

Quid nunc? qua spe aut quo consilio huc ad nos Lovanium i. e. domum reverteris? Credo, ut magistratui te dedas, & facias, quod jubet. Quid abnuis? Tu verò si homo esses, faceres, quod alii fecerunt itidem boni: qui connubia, quæ necessitas imperavit, non recusarunt. Nā hoc pacto & ipse gratiosus esses, & in peti-

O 7. tione

tione Magistratꝝ multos cupidostui & gratiosos haberes. Quod si porrò tam religiosus vel potius superstitiosus esse pergis, ut edere de patella renuas, nemo te hic visum vel auditum volet. Semper enim cognata vel vidua vel gratiosa puella tibi tam delicato aditum ad honores ex omni parte parentem intercludet: eademq; facilitate ei, qui indifferenti animi affectu amare didicit, januam ad Rempubl. occlusissimam aperiet! Ne lacryma! Nam & ingenium & merita tua novi, & tui me miseret, & doleo, ed recidisse fortunam Reipubl. nostræ, ut ejs administrandæ partes non docto & honesto viro, sed nobili & famosæ mulieri reserventur: quas partes & officium, nisi qui hanc talem ducere paratus est, auferre nemo possit. Tu quæ animi æquitate es, dolorem, ex immerita repulsâ perceptum, consolare cum conscientia bonæ mentis, tum etiam exemplo alio-

aliorum: qui Republica carere, quàm cum tanto detrimento existimationis ad eam accedere, maluerunt. Vale!

IV.

Venit tandem idoneum tempus, quo re ipsa demonstrares, quantum amicitie nostræ tribuas. Negotium mihi à Principe est datum, ut officinam armorum instituam & omne instrumentum, quod ad opificium istud pertinet, coëmam. Hic tu ostendas oportet lumen animi consiliq; tui. Mercator, qui tibi has reddet, pecuniam, quanta in hanc emptionem insumetur, statim numerabit: Studium tuum curamq; ad id tantum desidero, ut omnia justis pretiis emantur & probo navigio quàm primùm pervehantur. Vale!

V.

Tandem aliquando casus fortuitus detexit scelus istud, quod hanc civitatem, per tot secula omnibus

bus ornamentis & fortunis auctam, uno biduo tantum non totam evertit. Nam socius & adjutor ejus, cui incendium suburbii mandaverat, in ipso facinore deprehensus, certissimum indicium detulit & omnia consilia & actiones nefariae conjurationis patefecit. Restat, ut in eos, qui inflammationem aedibus sacris, excisionem operibus publicis, privatorum aedificiis everisionem, omnibus denique bonis & fortunis nostris depopulationem & vastationem intulerunt, legum severitas exerceatur. Cum autem ad disquisitionem & didicationem sceleris intersit, ad esse quam plurimos, tibi quoque id negotii nunc datur, ut facinus, cunctis seculis severissime vindicatum, congruenter legibus una cum aliis ulciscare. Vale!

VI.

ET ratio consuetudinis tuae & fiducia meritorum meorum spem mihi

hi promptae impetrationis faciebat, cum pro jure amicitiae nostrae a te peterem, ut fratri meo contra debitorem maleficum natura & injultum in judicio adesses. Sed literis fratris mei propere adducor, ut errasse me credam. Scribit enim, te diem ex die ducere, & multa plerumque afferre, id est, caussari, quare hominem potentem & gratiosum irritare nequeas. Hoc tu quidem contra facis, quam tuis in literis professus pollicitusque es. Itaque si, ne quid temere contra hominem potentem diceres faceresque huc usque cessasti, ut promisso receptoque satisfacias, nunc saltem recte facere propera. Nam non stare promissis, quae amico ac per necessario sponte feceris, summa iniquitas foret. Vale!

VII.

QVod scribis, genus armorum, quod mihi, Principi non displicuisse, immortaliter gaudeo. Nam

&

& gratiæ Regiæ me securum reddis, & constantiam amoris, quo me complecteris, ostentas. Rogo igitur, ut tam exoptato nuncio me frequenter exhilares. Nec enim expectandum tibi est, dum id genus alia mittam. Quippe longè paratior ad mittendum promptiorq; ero, si cupiditatem nostram lætis paginis identidem incites atq; inflammes. Vale!

VIII.

Miraberis tarditatem responsi nostri. Sed si iter longum & devium cæteraq; incommoda & difficultates peregrinationis nostræ scias, nihil de mora queraris. Quid, quòd ideò quoq; tardior ad scribendum fui, quòd difficile erat de reditu meo certi quicquam promittere? Accessit dolor artuum, actionum nostrarum sævus sequester. Nunc ubi à molestiis itineris & morbi liberatus sum, debitum officii familiaris

non

non differo: pretium obsequii laturus de literis, quibus has meas tibi redditas esse propediem nunciabis. Vale.

IX.

Lætitiã apertè fero, quoties literas tuas sumo. Nam & de tua erga me voluntate me securum reddunt, & plerumq;, quod tua etiam causa gaudeam, nunciant. Quare, quoniam vides, tantam ad amicitiam nostram accessionem tantula tua opera fieri, hujus officii, quæso, in posterum parcus ne sis: Nec ideò tibi à stylo temperes, quòd, cætera pares, quibusdam ad vicem reddendam impari pares videmur. Qui parem amico voluntatem rependit, impar in amicitia judicari non potest. Vale!

X.

Novis difficultatibus affectus afflictusq; denud me in tuam fidem & clientelam confero: Nec modò non cum magna prece, sed etiam sine

prece

prece, opem à te posco. Quippe id jus amicitiae nostrae fraudet: quae ea conditione inter nos coit, ut quanto proclivior alter ad poscendum, tanto alter ad praestandum paratior promptiorque sit. Vale!

XI.

Nec prece apud amicum, nec precio, opus est. Nam vera amicitia etiam simplici sermone facile permovetur. Quapropter verbo me nunc expediam. Negotia alia super alia me impediunt, quod minus, ad quod tempus constitui, Holmiae esse possim. Itaque prolationem peto iudicii, quod causam meam iudicabit. Hoc meum desiderium si optimo Praesidi tribus verbis exposueris, eam veniam mihi statim impetrabis. Deus autem dabit, ut utriusque pro eo erga me animo brevi gratias agere coram possim. Vale!

XII.

XII.

AN Materia lignea, quam affecto jam propè autumnò à me petiisti, initio veris tibi usui futura sit, in ambiguo relinquo. Facere tamen contra officium videri possim, si desiderii tuis non semper & ubique satisfaciam. Itaque, flumine & mari primae navigationi vixdum idoneo, fortunae & casui commisi, quod fortasse nunc supervacuum est & usum nullum habet. Si tamen omnia anni hoc tempore feliciter pervenerint, fac, quaeso, ut ex literis id tuis sine mora intelligam. Nam sic tempore magis opportuno longè etiam paratior ero ad mittendum, quicquid tibi utile & necessarium esse porro significaveris. Vale!

XIII.

Moram quidem & cunctationem tuam impatienter tuli: Qui affectus animi iis, qui in egestate sunt, familiaris est. Sed missa pecunia omnè expe-

expectationem desiderii mei exple-
visti. Atq; ideo gratias nunc ago,
& te vehementer oro, ut in poste-
rum prompto & alacri animo præ-
stes, quod jure amicitiae à te peto.
Sic enim ipse quoque paratior ad
omnia, quæ tibi grata esse cognove-
ro, promptiorq; ero. Vale!

XIV.

Propensi erga me animi indicium
est, quod ad opem meam confu-
gisti. Sed velim credas, necessitatis
fuisse, non voluntatis, quod, tam a-
manter à te provocatus, amicitiae
officium & jus non præstiti. Nec enim
ignorare potes, quam mihi nunc te-
nues facultates, quam nullæ divitiæ,
quam exiguae rei familiaris copiae
sint. Proinde si hæc omnia cum ani-
mo tuo verè volueris expendere, ex-
cusationi meæ non invitus veniam
dabis, vel gratiam potius habebis,
quod desiderii tuis non voluntate,
sed necessitate defuerim. Vale!

XV.

XV.

Nequicquam de raritate & negli-
gentia literarum accuser: qui
tuarum assiduitatem & diligentiam
quæ mihi pergrata, est, jam pridem
exæquo, etsi elegantiam nondum as-
sequor. Sed incuria eorum, quibus
litteras perferendas trado, arbitror
interdum accidere, ut mea tibi scri-
pta tardius, quam velim, reddantur.
Quæso igitur, ne ex frequentia vel
infrequentia mutui sermonis con-
stantiam vel remissionem amoris mei
conjectes. Nam plerumq; , qui ni-
mis accuratè officia & diligentem
cultum tribuunt, non carent suspitio-
ne vanitatis. Amicitiae veritas animi
magis affectu, quam styli ostentatio-
ne spectanda. Vale!

XVI.

Frugalem me angustia rei familia-
ris facit; sed ex tenuitate mea in-
opiam tuam libenter sustento. Quare
ut me facias promptiorem ad mit-
ten-

tendum, quod tibi necesse est, libertatem, quam tibi jus amicitiae nostrae concedit, in petendo frequenter usurpa. Vale! XVII.

Pecuniam à te sumere, quam nova promissa, multò malim; sed spei locus est, ubi optatis deficiamur. Vereor autem, ne nimium diu me spe atq; promissis teneas: Quippe huiusmodi aliquid minari videtur excusationis tuae nimis accurata defensio. Edico igitur tibi, nulli purgationi amplius locum fore, nisi, ad quam diem sortem promisisti, saltem usuras dissolvas. Totum serò præstabit, qui statò tempore partem repræsentare negligit. Val!

XIX.

Muera nostra, hydromeli, salomonas, conchilia, non expectas solum, sed postulas. Os impudens! quasi verò non in manu tua sit, donandi initium occupare. Sed fortasse objicies, sic moris esse, sic fieri
sole

folere, ut ii, qui circa Principem sunt, crebris munusculis colantur, ipsi à reddenda vice immunes agant. Libero te huius observantia consuetudinis, tibi que affirmo, longè mihi gratiorem esse, qui magnificentiae exemplo provocat, quam qui liberalitatis initium à me expectat. Nam ut cætera non sine exemplo atq; instituto optimi cuiusq; facio, ita in hoc quoq; non libenter aliquid committam, quod me postea plus minusve fecisse poeniteat. Vale!

XI.

Moerore affecerat bonos omnes clades in Pomerania acceptas. Correxerit fortuna apud Wittokium errorem suum, & præmium belli, quod lumine capta tironi dederat, caligine discussa reddidit plurimarum palmarum veteri & nobili duci. Credo, totum exercitum re ista gaudere vehementerq; lætari. Sed quid me iuvat castrensis lætitia absentem?

P

Tu

Tu, qui opportunè curam & mœrorem animi mei epistola levasti tua, solare etiam hunc casum frequentibus literis. Scribe autem principio, quid in commodum nostrum porro effecerit victor exercitus: ut, si non falsa opinione delector, multò amplius gaudeam confirmatione sperati boni. Vale!

XII.

CUM antea voluptatem cepi ex literis tuis, quibus tibi omnia ex sententia fluere nunciabas; tum vero postea quàm ex fratre tuo cognovi pulcherrimum factum, quod ex sententia amplissimi senatus gessisti, vehementer lætatus sum. Perseveras tu quidem & in re bene cœpta permanes; sed tamen mihi hortandus videris, ut, si meritis tuis par gratia negatur, præmium virtutis ab honestate speres. Subnecterem commendationem rerum mearum, si hæc cura esset ab alio poscenda. Verum

cum

eum tua voluntate tuoq; iudicio rationibus nostris provideas, istam quidem petitionem omitto. Quod jus amicitia pollicetur, magis delectat, si sponte præstatur. Vale!

XIII.

EXultare gaudio cœpi, postquam te quartana carere, & simul novum morbum removisse nunciasti. Nam incommodo valetudinis tuæ prorsus commovebar. Nunc magnum & præpotentem DEum comprecor, ut hoc bonum nobis perpetuum sit nec unquam tristior de te epistola his oculis caliginem & quasi quandam noctem offundat. Iis autem literis, quibus hoc nobis gaudium objecisti, pretium rependendum est. Accipe igitur vicissim, quod libenter de me legas. Omni jam fortuna prosperè functus sum. Nemo fuit in toto senatu, qui non me in ista tempestate pro opibus suis defenderit, Sinat DEUS hanc felicitatem

P a

nobis

nobis propriam esse, ut scribentis gaudio latitia respondentis semper conveniat. Vale!

XIV.

Fortasse temerè & imprudenter facio, quod idem de tuo limatissimo judicio spero, quod populi suffragiis simpliciter credidi. Ea certè fiducia tibi disputationem nisi bene longam de directo dominio, quam ut cum pluribus communicarem, prior approbatio effecit. Omnes enim de re ista idem senserunt, quod ego jam dudum, nempe id dominium solum principis esse, à quo nunquam divellatur. Tibi igitur assertionem istam non minus quam cæteris placiturum confido. Nunc tuarum partium erit, cum animo vacuo legeris statuere, an tibi quoque sententiam meam argumento satis firmo probaverim. Nam de stylo & verbis non laboro: quorum judicium & electio poetarum & oratorum scilicet com-

mu.

munia sunt; Cum quibus mihi commercium aliis rei non est. Vale!

XV.

Tibi quidem omnium rerum, quas vel usus vitæ vel splendor requirit, abundantia & copia est. Ridiculus sim, si in re manifesta testimonio cujusquam abutar, cum niti exemplo possim. Illo enim nihil aliud, quam esse illud ita, ut dixi, confirmem: hoc etiam, cujusmodi id sit, quod dixi, declarabo. Convivium nobis dedisti non modò affluentia omnium rerum, sed etiam varietate spectandum, Quæ enim pars ejus vel inventionis prudentia vel novitate ciborum vel vetustate vinorum caruit? Vasa quàm magnificè & pretiosè ex argento auroque conflata! Pocula autem non, ut in symposio pauperis domini, minuta atque rorantia; sed quæ magnitudine ipsa divitem & copiosum convivatorem ar-

P 3

que.

guerent. Cum igitur nunc specimen liberalitatis omnibus gratum dederis; annitere, quæso te, ut in posterum non minus frugalitate, quam beneficentia innotescas. Etsi enim rustica illa & inculta parsimonia amici tui non est probanda: ea tamen, quam antè frugalitatem appellavi, crebritatè conviviorum tuorum in primis decet. Moderati prandii non modò major gratia, sed etiam promptiores convivæ sunt. Vale!

XVI.

Mihi quidem tui colendi aut amandi aut ornandi voluntas nunquam defuit, sed solenne nuptiarum tuarum, sumptibus & jacturis exhaustus, debito munere honorare non potui. Ut tamen vigere apud me memoriam meritorum tuorum votiva oblatione testarer, mittere visum hanc lagenam dulciculæ potionis: hydromeli vocant, quod in vicina regione ex imbre puro & melle no-

vo temperatur. Exiguum munusculum, si pretium spectes: copiosum, si hunc animum. Vale!

XVII.

Humanitas tua veniam his literis & simul precibus amici nostri pollicetur: Quippe is me, ut eas ad te scriberem, adduxit, invitum sanè & huc atque illuc tergiversantem. Noveram enim occupationes tuas, quas nova molestia non libenter augebam. Sed vicit pudorem meum perseverantia & studium petentis. Genus autem petitionis hoc est: Serenissimus Rex, liberalissimum suum erga bonos omnes animum secutus, ipsi dedit, ut in locum Bonifacii, quem is in judicio provinciali supremum habebat, succederet. Quid nos aliud potuimus, quam voluntati optimi Regis extemplò morem gerere, & Bonifacio ejuranti (agnoscis phrasin Corneliitui) hunc nostrum

sufficere? Quippe hoc privilegiis E-
 questris ordinis adeo non derogabat,
 ut ea potius roborare confirmareq;
 videretur. Nam quamvis benignissimus
 Rex ordini isti ante biennium
 ex mera gratia concessisset, ut, si
 quando iudex provincialis fato fun-
 geretur, Præsidi provinciae tres do-
 ctos, & nobili genere natos viros
 commendaret, quorum ex numero
 ille iudicem istum eligeret; Nunc
 tamen res ista contra se habebat.
 Nam primum nemo mortuus erat,
 cui ex sententia & voto nobilium
 alius surrogaretur; sed Bonifacius,
 cum locum suum ipse tueri posset,
 ea demum conditione ac lege scilicet
 Magistratu abdicabat, ut amico aditum
 ad honores patefaceret. Deinde
 Rex privilegium istud non eo pacto
 dederat, ut sibi omnem licentiam ac
 potestatem benefaciendi præcideret;
 præsertim in casu extraordinario,
 cuiusmodi hic erat. Tamennon ita
 pri-

pridem malevolentia quorundam
 effectum est, ut amicus noster officio, ad
 quod non minus iustis gradibus, quam
 iudicio Regis pervenit, fungi sit pro-
 hibitus. Hac nota & immerita igno-
 minia liberari non immerito postu-
 lat. Quæ postulatio si tibi æqua vi-
 detur, rogo, ut autoritate tua jus
 suum consequatur. Aliud nec ego
 atque petere, nec tu de te præstare pot-
 es. Ipse amicus noster novit, quam
 consideratè agas, in iis præsertim re-
 bus, in quibus quodammodo dignitas
 Regis & jus tertii versatur, eoq; ma-
 gis confidit, fore, ut volumus. Ut
 suum cuiq; tribuatur, interest Rei-
 publicæ; Cui te talem DEus diu ser-
 vet.

XVIII.

IS, qui has tibi reddet, potentia ad-
 versariorum amplo & copioso pa-
 trimonio exutus, remedium supre-
 mi tribunalis implorat. Ut autem
 facilius & proclivius ad destinata

perveniat, patrocínio tuo commendari petitionem suam cupit: Cujus petitionis hæc summa est, ut causa ejus, ab inferiore iudice vulnerata, remedio principali sanetur. Servabis moré tuum & hunc etiam clientem, iustitia suffragante, non invitus defendes. Vale!

XIX.

Est hoc in more positum, ut ii, qui iustitiam & auxilium Principis implorant, ad meliorum suffragia confugiant. Ita pro aliis sæpè, pro me raro aliquid à te peto. Nunc certè pro homine nulla necessitudine ac ne consuetudine quidem aliqua mecum conjuncto, firmissimum præsidium à te non peto tantum, sed etiam pro summa nostra conjunctione proque tua in me perpetua benivolentia posco ac flagito. Non gravaberis, more tuo hic quoq; studio ac cupiditati nostræ morem gerere & novum hunc clientem à me commendatissimum

num habere. Crede mihi, magnum meritum est, haud sciam, an de humanis meritis maximum, jacentes ac spoliatos libenter studiosèq; tueri atq; defendere. Vale.

XX.

Negotium Statii mihi non solum ea causa commendat, ut fortuna miselli, cui præter vitam & communem spiritum nihil superest, ex adversis & perditis rebus ad meliorem statum revocetur; Sed etiam hæc major, ut ne quis sub tam justo Principe de possessione sua contra jus fasq; dejectus esse videatur. Quæ igitur mihi iustissimæ causæ ad eum defendendum visæ sunt, eadem tibi ad juvandum videri debent: Aut si magis disjunctis & separatis movemur, fidelem advocationem à me privata miseratio, à te promptum juris remedium publica ratio impetret. Vale!

XXI.

SI meliore in statu res tua & publica esset, minus quererer de damnis piscinæ meæ privatae. Sed utramq; acerbiter multis condimentis literarum tuarum mitigasti: quas te pro tua erga me diligentia ac studio frequentaturum confido, si qua necessitas te istis in locis diutius attinebit. Sed optarim, celeriter cedas, ne qua in re impediaris atque alligeris. Vale!

XXII.

QVOD paratior ad comparandum frumentum, quod emi iussisti, promptiorq; essem, ex præscripto tuo pecuniam mutui sumsi, non modo magno, sed etiam iniquissimo fœnore. Sed sterilitas agrorum, quæ initio anni metuebatur, & hinc orta difficultas annonæ, moram & cessationem mihi ab hac mercatura imperavit. Nunc postquam metum inopia & caritatis summa copia & uber-

ubertas rei frumentariæ consecuta est, emptionem non distuli & ea emptione me bene emisse arbitror. Accipe igitur libens rationes administrationis nostræ: quas, si venti secundum inceptum nostrum conatumque juverint, frumentum ipsum mox sequetur vel præveniet. Vale!

XXIII.

DIU nihil muneris mihi ex agris tuis misisti, quos agros beneficio meo immunes liberosq; aras: natura per bonos & diligentia culturaque meliores. Sed ego vitiosa confectari imitando non debeo. Itaq; in officium primus erumpens, uvam tibi mitto, quæ maxima fuit in vinea Patroni. Teq; amica admonitione convenio, ut liberalitatem, quam amicitiae nostræ ultrò præstare consuevisti, nunc saltem beneficio meo provocatus exhibeas. Vale!

XXIV.

Tibi quidem ad me ornandum facultas nunquam deest: mihi plerumq; considerandum, quo te genere munerer. Nunc in primis & argento à te & auro donatus. Quid tibi pro tanto munere tamq; immenso dignum rependam, non modo non copiosus & dives ipse, sed etiam inops & ita pauper, ut nemo hodiè me vivat spoliator, nemo egentior? Subjiciam publicæ existimationi & iudicio opus elegans, perfectum, elaboratum, haud scio, an de antiquo opere & artificio longè maximum dicere debeam: Et, quamquam impar laudator, memoriam tantæ liberalitatis æternis monumentis consecrabo. Nihil jejunitas orationis meæ amplitudini muneris tui derogabit, nihil de gloria laudum tuarum decerpit. Nam & Regum ac Principum præclara facinora no-

vimus

vimus rustica & agresti voce rectè prædicari. Vale!

XXV.

Itane ratio comparata est vitæ fortunæq; nostræ, ut magis aliorum nobis negotia agenda sint, quam nostra? Velut nunc me, proprius immer sum litibus, caussa Statii & tua in graves curas & expensas cogit. Nam illi nisi, post habitis omnibus rebus, properata ope subvenero, postea nequicquam opiculabor: Tibi nisi adfuero, fortassis inauditus & indefensus damnaberis. Quid rerum vestrarum hic geram audisti. Facies vicissim, ut quid illi pro me agatis, ex literis vestris cognoscam & factis gaudeam. Qui negotium amici intermittit, commodum amittit. Vale,

XXVI.

Celerem editionem orationum mearum speravi, postquam te emendatorem & correctorem nactus sum: qui orationis faciundæ & orn-

ornandæ autor locupletissimus ipse es & pro eo haberis. Sed tu etiam nunc de ordine & collocatione orationum disputas. Quid sibi vult interrogatiuncula ista, si opus jam inchoatum vel, ut innuere videris, propè absolutum est? aut cur tantò hoc post potius, quàm continuò quærere maluisti? si quid igitur loci apud te precibus meis est, quæso, ut celeritatem, quam mihi pollicitus sum in edendo, & diligentiam, quam promissisti, in emendando adhibeas. Nam quod ad ordinem attinet, mihi verò is placebit maximè, aut certè minimè displicebit, qui tibi probabitur. Vale.

XXVII.

Qvod superioribus literis de festinatione studioq; Regis Galliarum prædixi & tanquam ex aliqua specula nunciavi, id nunc planè ita evenit. Nam exercitum ante Calendas Martii in expeditionè eduxit &

& Valentianas, oppidum in Hannonia ad scaldim sitam, subita & improvisa obsidione cinxit. Quamobrem Bruxellis ingens perturbatio rerum omnium & magna confusio est. Neq; in tam subito periculò à fœderatis principibus quicquam certi ad spem ostenditur. Quippe antequam illi copias suas longè lateq; per hyberna dispersas in unum contraxerint & exercitui Hispanico junxerint, actum jam de Valentianis erit, fortè & de oppido sancti Odomeri: quod obsidetur à fratre Regis atq; vehementissimè oppugnatur. Qui belli & rei militaris periti sunt, opinantur, utrumq; oppidum ante Calendas Apriles in potestate victricis exercitus fore. Nam Rex omnis moræ impatiens, non solum victoriæ avidus est, sed etiam celeritatis. Hispani præcipuum metù, quod ad Valentianas attinet, habent: qui sciant, his ex pugnatís spem optimam, quæ de

de Camaraco defendendo erat, cum desperatione rerum omnium confligere. De expugnatione faciam, ut per proximos tabellarios omnia explorata certaq; ad de perscribam. Vale.

XXIIX.

EXrationibus quæstoris tui, quas pro commodo tuo non pessimè subduxit, penè bonus arithmeticus factus sum. Tu cura, ut ex operibus magni Erasmi, quæ tibi propter inopiam pecuniariam in solutum offero, fias bonus Latinus. Sic enim brevi ad maximas pecunias perueurus es. Et certemus inter nos, uter scièntia sua deterius utatur, ego iniquè numerando, quæ de summa subducta detrahi oporteat, tu eloquenter exigendo, quæ postea remittas tamen: Eaq; omnia hac lege, ut is plus alteri debeat, qui in commodo suo augendo iniquior fuerit. Vale.

XXIX.

Credo

CRedo, te jam dudum expectare, ut scribam, quàm fortiter Valentianæ ab Hispanis defensæ sint. Illæ verò, mi Pole, decimo sexto die, ex quo obsideri cœptæ sunt in potestateditionemq; Regis Galliarū venerunt. Quid illud sit, cujusmodi sit & quale omninò sit, quod munitissimū oppidū tā citò evertit, diversitas tradentium incertum facit. Nam alii primo statim impetu captum, nulla adhibita machina, existimant: alii defensores, dum magna eruptione facta moles hostium aggrediuntur, ab illis circumventos esse & redire in urbem prohibitos: ut muri propugnatoribus denudati amplius defendi nequiverint. Cæteri, cives in media oppugnatione tumultuosos esse, quibus dum gubernator deductis aliquot cohortibus occurrit, reliquos vim & impetum hostium sustinere non potuisse. Decimo septimo die Martii captū esse inter omnes convenit.

LXXX

nit. Sed cum proximo tabellario ad te omnia magis certa & explorata scribam. Vale.

XXX.

ET si in tanta mole negotiorum, quam vix sustines, non libenter nova te sollicitudine miserum habeo; tamen epistola Nederhoffii, quam vides, miserabiliter scripta, cogit me, ut causam ejus patrocinio tuo commendem. Erit facilior expeditio cæterarum rerum, si negotia miseri & oppressi clientis non neglexeris. De prædiolo, in quo vix medimnum frumenti seritur, Rex ipse statuet. Hoc tantum à te petimus, ut causa multiplex, quam supremum dicasterium dijudicabit, te advocato defendatur. Quod facies profectò, nisi honestum existimas, hominem ærumnosum, infelicem, miserum, te patrocinium ejus abnuente, causa cadere. Vale.

XXXI.

XXXI.

Quòd ardes cupiditate incredibili, sicut scribis, ut pugna apud Londinum scriptis illustretur & celebretur meis, mihi quidem judicium tuum vel de cura & diligentia mea vel de facultate & copiis meis non displicet. Cæterum nondum satis constat consilii ratio, utrum causam, in qua plusculum negotii & difficultatis est, sine periculo estimationis suscipere & conficere queam. Nam primum verendum est, ut satis dignè pro rei magnitudine scribere possim: Deinde subdubito, quam conatus iste animi plenus Regi gratus futurus sit: quem pro rebus gestis amplissimis ne laudare quidem quisquam satis commodè potest. Quòd si omninò aliquid esse scribendum existimas, non defugiam auctoritatem, daboq; operam, ut si pro rei magnitudine parum, pro facultate mea nimium, pro voluntate tua satis scyi-

scripsisse videar. Quod ut facilius præstare possim, necesse habeo à vobis de re tota edoceri. Non enim consultum est, quod vulgi sermonibus & incertis rumoribus jactatur, literis mandare. Reliqua tu pro tua singulari prudentia dijudicabis meq; ad omne munus officii præceptis tuis instrues. Vale.

XXXII

Quis mortalium opusculum istud de methodo ediderit & cognomine gentilitio verecundiæ nostræ obrepserit, nescio: Nisi tamen puto, reverà aliquem Gartnerum fuisse, sed ab hoc nostro longè diversum. Quid enim nostrum cum eloquentia ista comparandum? Sanè, si à recta conscientia digitum possem discedere, hanc mihi laudem libenter vindicarem, etiam ab invito. Sed errorem ipsa quoq; coagmentatio nominis arguere videtur: Nam auctor & architectus opusculi nomen suum

suum litera Romanorum principe construit, ego meum semper secunda ex vocalibus formavi, semperque scripturus sum Gartnerus, non Gartnerus. Vale!

XXXIII.

UTar libertate, quam dedisti. Advococatione hominis probi & docti indigeo. Si ergò tibi æqua & honesta postulatio mea videtur, ex copia præsentis eum tua constituet electio, qui causam hanc tenuem & inopem, nec eloquente patrono magno opere dignam, commodè orare queat. Ego mercedem, quam literæ tuæ significabunt, ei, quem elegeris, sine mora numerabo. Quanquam hoc spondere non debui, quia jure amicitiae nostræ non istud tantum, sed alia majora à te, etiam sine syngrapha, me impetrare par est. Vale!

XXXIV.

Non dubito, exiguum tibi visum iri munusculum, quod mitto:
Non

Non magni æstimari potest, quod jam vix teruncii sit. Sed si cogites, quàm tenues mihi opes, quàm exigui redditus, quàm facultates nullæ sint, ratio contemptum diluet. Quanquam & caussari improvisam horti sterilitatem poteram, qui mihi hoc anno nihil ferè præter amœnitatem præstitit. Verùm quomocunq; tibi placuerit hortensis munusculi exiguitas, hic tibi animus, si par abundantia rerum atq; amoris suppeteret, nunquam displiceret, Vale.

LX.

IN diligentia officiorum familiarium præcipua amici laus, in neglecta turpitude spectatur. Ego missis subinde literis meâ observantiam & diligentem cultum olim tibi probavi: Tuarum partium erit, te nostri non indiligentem multiplicato responso ostendere, Vale.

XLI.

XXXVI.

Salarium mihi primo vere debitum quæstor tuus affecta jam propè ætate solvere recusat. Ego pro jure meo totum flagito: illè contra jus fasq; par tem etiam negat. Ego inopiam rei domesticæ, ille ærarii objicit. Sed cum circa brumam etiam extraordinaria pensio, jam diu solvi desita, numerari debeat, mihi quæstuosa mora videtur, quæ dolorem præsentis repulsæ spe proximi lucri solatur. Vale.

XXXVII.

Postquam redire te ac propè jam adesse nunciasti, à mittendis literis abstinui. Sed dum adventum tuum, nescio quæ diverticula flexionesque retardant, absuit non longè, quin culpam neglecti officii contraherem, sine peccato meo, ut vides. Redeo igitur ad consuetudinem pristinam assidux ac penè quotidianæ scriptionis; quam tibi eligendum re-

Q

liq.

linquo, celeri accessu ad urbem, an festinatis responsis pensare malis. Vale.

XXXIIX.

Quantopere mora & tergiversatio tua Gubernatori & toti iudicio displiceat, ex procuratore tuo cognosces. Scribis, tibi liberam esse eligendi optionem, utrum velis. Audio & fateor; sed quaeso te, an igitur erit hæc optio & potestas tua, ut nec bona, quæ contra edictum possides, vero domino restituas, nec de prima & secunda pensione nummum unum ullum solvas. Alterutrum facias necesse est, ut aut ex pacto conventoq; pensionem initio cujusvis anni re-præsentas, aut ex edicto de possessione decedas. Nulla enim purgatio iustitiæ satisfaciet si & domino prædii, quod debes, solvere, & mandato iudicii parere diutius recusaveris. Vale,

XXXIX.

XXXIX.

Maximas tibi gratias agerem & meo & civitatis nomine, quod res mandatas tanta diligentia egisti, ut omnem expectationem desiderii nostri expleveris; nisi hanc sibi operam spes majoris beneficii vendicaret. Quippe plura habemus, quæ consilii & opis tuæ indigent, quæq; tua fideli advocacy a tam benigno principe impetrari posse speramus & iam confidimus. Igitur devinciri tibi nodo duplicis beneficii cupimus. Interim tamen præstita officia grata recondimus mente, Deumq; comprecamur, ut isti tuo erga nos animo prosperorum omnium vicissitudo respondeat. Vale.

XL.

Agis mecum more benigni creditoris, ut pecuniam creditam, quæ tibi ex syngrapha ante Calendas Januarias debetur, idibus Martiis dissolvam. Poteras n. jure tuo uti & me,

Q 2

ut

ut promisso receptoq; stare, vel invitum adigere. Sed maluisti petitoris personam sumere, exactoris deponere. Agnosco, affectum benevolentissimi & amicissimi patroni: quem te mihi & fuisse semper fateor & futurum esse confido. Cæterum de pecunia sic habeto. Jam dudum hic animus, justitiæ & æquitati à puero deditus, me hortatus est, currentem quidem, ut pecuniam istam, sicut inter nos convenisset & vel antequam deberi cœpta esset, redderem. Et fecissem perfectò, si sine versura potuissem. Verùm optimæ voluntati res familiaris valdè exigua & quæstorum malignitas obstitit. Nam hi pensionem, quæ mihi plerumq; etiam aliquantò ante diem soluta est, præter omnem expectationem differre ac procrastinare cœperunt; domi autem tenues rei familiaris reliquias deprehendo, nullas futuras, si inde solvere vellem, quod

debeo.

debeo. Tribues igitur nunc necessitati, quod antea concessisti voluntati. Non morabor expectationem tuam, si quæstores, quos nunc infestos habeo, mihi aliquando erunt propitii. Sed quia hoc longum videri potest, operam dabo, ut partem pensionis, quam ab illis auferre cum bona gratia non possum, vi extorqueam. Vale.

XLI.

Insperanti mihi, sed valdè optanti accidit, ut de salute tua ex Luzovio cognoscerem. Vellem, quod vicissim de me gaudeas, nunciare, si quid tot tantisq; difficultatibus affecto proficeret ficta & commentitia felicitas. Sed spes est, melius propediem fore. Jam enim incipit res meliusculè ire, quam putaveram. Præstabit divinus favor, ut & tu incommoda valetudine, quæ jam ad fiduciam sanitatis accessit, prorsus emergas: & ego ex difficili hoc & propè despe-

Q3

rato

rato negotio aliqua ratione salvus & in columis evadam. Vale.

XLII.

Jam biennium est, cum datis ad te literis nihil responsi tribuisti. Ego tamen consuetudinem meam servans & antea tibi officium meum & memorem in benemeritum animum diligenti scriptione praestiti, & nunc commercium literarum non segniter instauro. Credo enim vicissitudinem, pristinis officiis negatam, identidem renovato cultu vel ab invito impetrari posse. Vale.

XLIII.

Mea summa & tibi cognita in colendis amicis diligentia te dubitare non sinet, magnum & diuturnum & jam desperatum morbum intermissae salutationis causam fuisse. Quod dum apud animum tuum defendo, pariter me valere & ut in malis non pessime habere ostendo. Tuum silentium nec arguo nec pur-

go:

go: Cum tute possis culpam neglecti officii vel maturato responso amoliri, si displicet, vel procrastinato augere, si placet. Vale.

XLIV.

MOs priscus & vetus consuetudo est, peregrè proficiscentes parvo munere donare: parvo, inquam: Nam amici non propter indigentiam, sed propter amorem coluntur. Ego hoc decus non tantum in abeunte servavi, sed tibi etiam feliciter redeunti munusculum misi, exiguum fateor, sed ab amico animo vereque benevolo profectum. Ita nempe amicos observantia soleo, rem parsimonia servare. Nunc tuum munus, tuae partes sunt, ut frugalitatem meam sermonis liberalitate munereris, meque de toto tuo itinere proluxa scriptione edoceas. Vale.

XLV.

Duri hominis, vel potius vix hominis videtur, à suis non arce-

Q 4

ro

re injuriam, cum potest. Hoc ideo præfatus sum, ut Excellentie tuæ desiderium peculiare sententia communi commendarem. Genus autem petitionis hujusmodi est. Musas mansuetiores olim in amore & deliciis habui; quis enim animo tam agrestiac duro sit, quem illæ lepore ac venustate sua non pelliciant? Ex illarum tamen congressu atque consuetudine orta est infelix hæc progenies: quæ miseræ suæ multumque jactatæ fortunæ tanquam portum aliquem & perfugium quærit. Hanc felicitatem miserandis puellis olim de tua justitia promisi. Certa enim spes est, quam de bonorum miseratione præcipimus. Nunc cum defensionem ac præsidium tuum flagitent, malevolorum terrore ac minis impulsæ, meque sponsores appellent, te oro, illustrissime Mæcenas, ut promisso receptoque meo album calculum adjicias & supplices tectis ac sedibus

dibus tuis recipias. Ego beneficiis, quibus Excellentie tuæ obstrictus teneor, adscribam, quicquid illis, precibus meis adductus, benigne feceris. Vale.

XLVI.

Veteres occupationes nova functione permutavi, sed externa. Nam jussu principis in Livoniam profectus procurationem negotii atque munus publici suscepi: In quo munere meam adeo S. R. M. fidem atque integritatem probabo, ut eandem me huc misisse poenitere nunquam possit. Quod cum ad te perferre rumor possit, satius visum est, literis tibi meis nunciari. Quibus subjungo hanc petitionem, ut mihi ostendere digneris, quomodo pro dignitate rei & utilitate mea tantum munus instam. Ipse in examinando ponderandoque desiderio meo benignitatem tuam servabis: quandoquidem nostri, me tuum unius consilium pluris facere,

cere, quàm multorum auctoritatem & sententiam. Vale.

XLVII.

L Eichnerum Excell. tuæ maximæ virtutes, modestia, temperantia, iustitia, cæteræ omnes commendant. Taceo, quòd illum ingenium præstans & eruditio perfecta omnisque omnium optimarum artium cognitio cohonestat. Hæc enim, quamvis egregia, interdum etiam mediocris animi sunt: illa semper magni cuiusdam & alti viri. Tibi quidem nulla antea re notus atq; cognitus fuit: sed, iudicium meum secutus, in fidem illū tuam & clientelam suscipies. Offert Excell. tuæ librum, quem de emendatione philosophiæ scripsit: quæ multorum vel inscitia vel malitia ita depravata est, ita perversa interpretatione pravisq; opinionibus corrupta, ut (quod olim Tullius questus est) nihil tam absurdè colligi atque concludi possit, quod jam non doceatur

tur ab aliquo philosopho. Itaq; vir optimus in eonunc totus est, ut pristino splendori & elegantia restituat bene vivendi recteq; sentiendi hanc disciplinam: quo profectò bono nulum optabilius neq; præstantius neq; datum est mortalium generi Deorum consensu atq; munere, neq; dabitur. Ut autem susceptum onus sustinere possit & destinata perficere, petita Rege tenuem aliquam pensionem. Eam per te consequi sperat. Quam spem si quis casus fefellerit, effice, te rogo, pro facultatibus & opibus tuis, ut illi proficit, proprii & præcipui voti repulsam tulisse. Vale.

XLIIII.

SI beatus dicendus est is, qui præsentibus voluptatibus fruitur, creditq; se futurum aut in omni aut in maiore parte vitæ; Haud scio, an nemini potius id nominis debeat, quàm tibi. Cum enim, in hoc tam

exiguo vitæ curriculo & tam brevi, maximæ plerumq; lætitiæ dolor aliquis finitimus sit; Nemini uni adhuc contigit, ut continua, sine ulla offensione, voluptate uteretur. Tu tamen, postquam te ab aula & negotiis in otium & libertatem vindicasti, non interruptam & quandam quasi perfectam voluptatem adeptus es: quandoquidem animi & fortunæ bonis in desertissima (an disertissima dicam?) solitudine ita circumfluus, ut non ipse tantum omnibus deliciis & amoribus fruaris, sed nos quoq; ejusdem felicitatis subinde facias participes. Quod quidem tam benignè tamque largiter præstas, ut ipsi etiam omnis jucunditatis affluentibus copiis abundemus. Perfruere igitur isto tuotam excellenti bono: Et, ut nunquam desit, quod cum amicis communices, optamus, ut perfectæ tuæ felicitati aliquis tanquam cumulus accedat, Vale.

XLIX.

NUdius tertius commeantibus literas ad te dedi bonæ spei plenissimas: quæ si casu aliquo tibi nondum sunt redditæ, en tibi alia pusilla epistola, quam metus expressit. Cum enim, missis in urbem rusticis, indicium prosperorum tuorum mihi nullum feceris, magis magisque crucior incertis. Cupio igitur petoq; vel literis vel nunciis tuis edoceri, quid post meum à vobis discessum, ad bonum valetudinis accesserit, simul ad quos dies hic expectari velis. Hoc interim spacio, de rebus externis securus, solam valetudinem curabis. Nam si veneris, abundè tibi de his quoq; satisfaciam. Quippe de urbanis, superioribus literis satisfactum tibi affatim prorsus. Hac igitur pagina id tantum ago, ut & curam meam circa valetudinem tuam significem & pro captu consilii mei tibi syadeam, ut, donec integra valetu-

letudine sis, curam rerum omnium abjicias & uniùs muneribus defungare corporis. Vale.

L.

Mitto tibi libellum vigiliarum mearum testem: qui tuo præfertim nomine apparere voluit. Munus tuarum lucubrationum, sed majorum, à puero revertente opto accipere. Sic & ego meæ erga te obfervantiæ satisfecero, & tu desiderium meum exoptatò impleveris. De cætero nihil ferè est, quod paginæ præfenti committam: Nisi fortè expetis scire, quid per hos dies proximos apud Regem vel in senatu actum sit. Ego, tanquam si aliquid tale à me expectes, quæ cognoscere potui, in adjecta pagella pertractavi, sed strictim & breviter: quo & mihi scribendi molestiam & tibi legendi fastidium minuerem. Vale.

LI

LI.

Consuetudinis tuæ promptus æmulator munificentiam tuam missò munusculo remuneror: munusculo, inquam, eoq; levidensi, nè parem à me liberalitatem expectes. Quippe ejusmodi largitio, cujusmodi tua est, si è re mea familiari sapius fieret, fontem ipsum liberalitatis citò exhauriret. Sed magnis sæpè etiam parva rectè comparantur: cum mutuum in amicitia sit, quando par voluntas accipitur & redditur. Nam si par semper & æqualis fructus reddendus esset, non ista amicitia, sed quædam mercatura foret utilitatum suarum. Itaq; tibi hæcenus duntaxat æmulor, ut, quod possum & opus est, donem, non quod debeo & necesse est. Quod, cujusmodicunq; sit, si prompta voluntate & manu acceperis, non videtur nimia mea in accipiendis tot munc-

muneribus tuis facilitas tibi ingrata accidisse. Vale.

LII.

Nihil ego tibi de meis opibus pollicitus sum, sed patroni benevolentiam promisi: Dicam hoc planius: Tibi id pollicitus sum, quod ad rem conficiendam à benignissimo patrono impetrare possem. Eam rem tu nunc tanquam certam flagitas meamq; fidem appellas. Dabis mihi hanc veniam, ut tibi me penitus indicem. Promisi, sed viro docto & ad id muneris, quod ambiebas, idoneo. Post illa indoctus apparuisti atq; indignus, qui impetrares. Eadem igitur ratio me defendit, quæ tibi dare vetat. Tum demum fidem fefellerò, tum promissis non steterò, si, cum idem verè esses, qui, cum pollicerer, simulabaris, non feci, quod me facturum receperam. At nunc ista secus se habent. Nam nec is unquam fuisti, quem te insolentius jactabas

ctabas & falso testimonio eruditio- nis probabas propemodum: Aut si ille fuisti, paucis profectò diebus ita es immutatus, ut non appareat, eundem esse. Sic igitur habeto, tua omnia debere eodè loco acsitatu esse, quo erant, cum meam tibi opem promitterem, ut promissum tibi receptumq; præstem. Quæ autem major fieri conversio status potest, quam si, pro homine docto atque optimarum artium studiis erudito, indoctusq; ineruditusq; deprehendere? Quod igitur assimilatæ eruditioni immeritò recepi, ignorantæ manifestò deprehensæ atq; compertæ rectè negavi. Tu fraudem tuam accusa & candori meo ignosce. Sic enim valebis.

LIII.

Clementia tua me hortatur, currentem quidem, ut periclitantibus opem meam sæpius impertiam. Pro cubiculario autem tuo apud te inter-

intercedendi mihi causa propensior ac justior est, quod & tuus famulus est, & te, non alium, offendit. Servabis igitur morem tuum, ut longè in tuis, quàm in alienis injuriis, sis placabilior. Magni & alti viri est, cum perdere possit, parcere, Animi pusilli & impotentis, cum parcere possit, perdere. Hic voluntate & natura crudelis: ille, cum salvis legibus & salvo officio ignoscere non potest, severus est. Alter in vindicandis aliorum injuriis facilè exorabilis, in propriis acerbior: alter contra proprias injurias, si tutò potest, vel condonat vel pænæ acerbicatem mitigat. Hæc quoniam plerumq; sponte tua facis, non opus est, ut ea nunc quoq; præstes precibus meis: opus tamen literis meis est, ne operã meã flagitanti, defuisse videar. Simul ut ostendam, quàm constantis, quàm excelsi viri sit, cum suis stimulis incitatur, animum vincere & vindictam temperare:

re: quàm impotentis autem, irasci proflire, exardescere. Vale.

LIV.

NUllum certius amicitia vinculum est, quàm consensus opinionum & voluntatum. Certum quiddam & breve exempli causa ponam. Ego prædiolum tuum olim & jucundum ætate & gratum hyeme judicavi: Est enim bellè ædificatum & utroq; tempore satis amœnum. Te idem de eo sentire facilè credidi: Etsi te sententiæ atque opinionis meæ participem esse, ante hodiernum diem re nulla declarasti. Nam nec crebrò eò commeasti, nec de ædificatiuncula paterna quicquã immutasti: Nunc postquam me locum istum amare dixi, tibi complacitus est. Siquidem & libenter eò venis & non invitus ibi commoraris: Ut villa & amœnitas illa, quæ antè vix diversorii erat, nunc commorationis esse videatur. Displicere mihi pote-

poterat consilium tuum tædio diurnioris separationis: sed amicus sum, id est, quod tibi valde arridet, mihi vehementer displicere non potest. Quid, quod opto etiam, quantum mihi urbanæ feriæ otii concedunt, in illo amænissimo sinu tecum agere: Ut & ego tibi convenientiam voluntatis, & tu mihi communio- nem jucunditatis tuæ præstes. Vale.

LV.

Promisi, me operam daturum, ut tum in cæteris rebus, tum maxime in officiis humanitatis pari erga te studio & eadem voluntate cognoscerer. Quid faciam angustiae rei familiaris? quid paupertati hujus ingenii, quæ duo me, ut fidem amico datam fallerem, coegerunt. Quippe nullam adhuc partem tuorum meritum assequor, nedum ut omnia omnibus, quasi dimensa & paria referam. Sed puto, tibi non displice-
re

re hanc meam sive infirmitatem sive fallaciam, cujus auctor tu fuisti. Annon enim tot & tantis me subinde beneficiis obruisti, ut assiduitate promerendi, vicissitudini omnem facultatem ademeris? quid igitur aliud potui, quam tibi manus & herbam dare, meq; tum in cæteris rebus, tum maxime in officiis humanitatis impari fateri? Nunc hoc velim cogites, quam promptus ad hujusmodi amicum certamen in posterum esse debeas, in quo tam facilem palmam reportas & vel invitus victor existis. Vale.

LVI.

Decet manere, si non te ipsum, at memoriam nominis tui apud nos decet perpetuo manere. Ipse quoniam jussu Principis in Germaniam abis, non invideo fortunæ, tuamq; profectionem pio voto prosequor. Præsens amicus rebus prosperis & adversis grande solatium fuisti, si nostri
stri

stri memoriam istis in locis confer-
vabis & mecum per literas frequen-
ter colloqueris, absens etiam pro-
speris & adversis rebus meis grande
solacium eris. Vale!

LVII.

Intererat publicæ utilitatis, ut me-
ritis tuis ille serus quidem, sed ju-
stus ac debitus honor haberetur.
Jam dudum enim virtutibus tuis
hanc urbem, & quæ illam incolit,
civitatem devinxisti. Quapropter
simul ac primum ei occasio data est,
tibi quodammodo gratuitum exora-
vit magistratum, quem tibi ut debi-
tum redderet. Cujus ego interesse
auspiciis libenter velim tuisq; gaudiis
vel non rogatus immisceri, ni verear,
ne, qui me inopinató viderint, tan-
quam auspicium malum detestentur.
Nondum enim omnem hominis fi-
guram recuperavi, nedum corpus &
vires, quod utrumq; amisi: Ut tutó
insistere pedibus vel ingredi sine ali-
quo

quo casu aut prolapsione vix possim.
Accedit brevium dierum matura &
sæva hyems; quæ firmandæ valetu-
dini & longiori excursioni obstat.
Interim dum me ipsum non queo,
hunc tibi animum, hæc vota, hoc
gaudium sisto: quorum soliditatem
& eminentiam verbis amplificare
non debeo, ne suspicio adulationis
tibi veritatem judicii devenustet.
Vale, & sicut in præsentium ore &
vultu, ita in absentium officio cul-
tuq; acquiesce. Etiam atq; etiam
Vale mi optime Consul.

LVIII.

Excellentiam tuam coram vene-
rari optabamus: Tu desideria
nostra prudentiæ & consilio Domi-
ni Biorenclavi commendasti. Veho-
menter quidem gavisi sumus præsen-
tia optimi & integerrimi viri: qui
& antea nobis ex animo favit, &
nunc labores nostros præcipuis lau-
dibus & præmiis ornavit. Sed hoc
ipso

ipſo damnum abſentiæ tuæ facilius intelligitur. Majus enim decus & ornamentum præſentia tua tribueret: cum reliquis animos adderet ad unamquamq; rationem methodi noſtræ examinandam, momentoq; ſuo ponderandam. Quod eò valeret, ut vel factum noſtrum conſiliumq; à te probari gauderem, vel, qua parte tibi diſpliceret, mature intelligerem. At nunc inter auſpicia novarum lectionum adhuc de merito veterum ſolicitati, fraudari nos querimur vel mandatis vel conſiliis tuis. Niſi tamen hoc ad gaudia noſtra putamus pertinere, quod à te etiam abſente omne noſtrum factum conſiliumq; laudari cognovimus. Hinc certè ſpes eſt, tibi ſtudia noſtra, etiamſi perfecta non ſunt, porrò tamen grata acceptaq; fore: dum ea ſcias ab optimo animo & ab optima fide proficiſci. Vale.

LIX.

Miſi literas & à te frequenter flagitatas & à me ſepè promiſſas. Non tamen omnes: adhuc enim bona pars illarum in ſcriniis meis deliteſcit; nec perfectiſſimas: nam pluriſimæ limam judicii tui expectant. Interim, quæ abſolutiores videbantur, non veritus ſum cenſuræ tuæ committere. Quemadmodum temeritas videri poſſet, inter primos & ſummos cenſeri velle; ita timiditas foret, ſic mihi diſſidere, ut, ſive ultimus primis, ſive citumus ultimis videar præſtare nolim, quod poſſim, qualecunq; id tandem ſit. Prima & ſumma ſequi conantem etiam honeſtum eſt in ſecundis tertiiſq; conſistere. Quare, cum ſublimis ingredi inter primos non poſſim, ſerpere autem inter ultimos mihi turpe dudam, medium quendam curſum tenebo: ſatis habiturus ex ſtudio meo, ſi non longiſſimè à primis recedam,

nec proximè ad ultimos accedam
 Verbo: boni aliquid efficere atque
 edere nunquam non conabor. Nam
 quod viribus deest, id voluntate sar-
 ciam. Sicaliquam saltem debiti par-
 tem dissolvam, nec tibi semper de-
 bebo omnia. Plurimum enim de-
 bet, qui nihil solvit. Vale.

LX.

Postquam causam fisci pro illa
 tenui infirmaq; parte defendi-
 me denuò civium causis disceptatio-
 nibusq; interesse præcipis. Purgat
 ut vides, absentiam meam longior
 itineris tractus & propriæ functionis
 necessitas. Tum præterea in hoc ju-
 dicio nulla mea pax virilis est: quod
 non in civitate, sed extra eam magis
 stratum gero. Quid, quod hoc ju-
 dicio tam varium & multiplex ex-
 spectatur, ut non uni rei statui, sed
 omnibus constitui putetur? Ut plus
 etiam, quam pars virilis postulat
 oneris suscepturus sim, si me ro-
 cant

causis, tamq; diversis admiscere
 atq; implicare velim. Quid, si cives
 in multis etiam judicii partibus in-
 feriores discedant & vincantur? an-
 non mihi quoq; unà superari turpe
 foret, quemadmodum istis pulcher-
 rimum esset superare? Verum quic-
 quid hujus verè vel falsò suspicer, tu
 veniæ dandæ te non difficilè præbe-
 bis. Neq; enim fas est, ut dispendio
 existimationis meæ tanti etiam iti-
 neris molestia jungatur. Habebo
 hic quoque non rarò occasionem
 civibus gratificandi rebus, quibus
 potero, omnibus. Quod faciam
 profectò libenti animo & prolixo,
 studiumq; in hoc negotio tuum per-
 petuò amabo. Vale.

LXI.

Literæ tuæ mihi grata & optata:
 dicerem jucundæ, nisi id mihi
 verbum tua lamentabilis conque-
 stio eriperet. Ubi nunc præcepta sa-
 pientiæ? ubi tot per annos meditata

adversus imminetia ratio? Vir sapiens ullam partem animi tam mollem habebis, quam non meditatione & ratione corroboret? Leviora tibi cuncta postimprobum iudicem videri debent. Cur enim dolore & otio hebescas, tui & fortunarum omnium negligens? Recipe verò animum & reliquias patrimonii, quas iudicis perfidia afflixit, comminuit, dissipavit, collige: Ne, in summa difficultate rerum tuarum, otiosè contempnissse videaris, quæ modò amissa tam anxie questus es. Vale.

LXII.

EX literis tuis intellexi, quanta in gratia me apud Patronum posueris. Amicitiam mihi aliorum concilias & eo ostendis, ipse quam me amet. Addis munus, ut jam sciam, quanto affectu diligas. Exigis literas meas, & offers animum. Sic semper ama, dona, exige. Ego, ut amare & donis tuis dignus inveniar, operam

ram dabo. Nec literas tantum meas, sed, si pateris, libros mittam. Utinam unà hunc animum possim! Tu libros lege, & in multis etiam locis animum in te meum expressum videri: sed quem tibi indies magis declarabo. Sanè si fuerit occasio, re ipsa: sin minus, verbis id facere conabor ex ipso animo profectis. Vale.

LXIII.

Mitto librum, quem de eruditione scholastica scripsi, & simul centuriam epistolarum familiarium. Dic apertè & ingenuè, quid censes? An non jam satis flagitij & dedecoris? Ego tamen de edendis reliquis epistolis cogito. Scio, nihil me facere posse inconsideratius. Sed hic tuo tamen iudicio stare malo, quam meo. Tempestas periculi, quæ à Moscho putabatur impendere, confedissee videtur, iterumq; sudum. Nisi tamen ipsa illa temperatio coeli ad breve

R 3 exi

exiguumque tempus duratura est. Sunt sanè, qui hoc metuunt, simulque verentur, ne sub hoc sereno atra nubes coëat, quæ cum minimè credas, in nos incumbat ac detonet. Salutis auspices Deos comprecor, ut hoc omen abominentur, patriamque incolumem seruent ac tueantur. Vale.

LXIV.

FRustrà apud me de magnitudine laborum quereris. Non enim facile ejusmodi querelis commoveor: vetus operis ac laboris & eò immittior, quia toleravi. Qui, quod summa Naturæ cautio atque una provisio fuit, ne bonis, quæ Dii immortales laboribus vendunt, otiosi & nihil agentes potiremur? Verùm quemadmodum tempus omne vitæ nostræ laboribus destinatum & quasi consecratum est; ita verus, justus & honestus labor honoribus, præmiis atque splendore decoratur. Quare si hunc fructum laborum desideras,

labo

labores recusare non potes. Vale.

LXV.

Literæ, quas misisti, non potuerunt mihi non summè esse jucundæ. Quod cum ita sit, gratissimas fuisse necesse est: Et sanè fuerunt: in priinis Baronis nostri. Dices, quia olim te ope sua, nunc opibus juvit. Non nego, id quoque fuisse causæ; Tamen etiam, priusquam aliquid tale legi, mihi valde placuit summum ejus in populum Rigensem studium, toti civitati profuturum. Sed non minus gratæ fuerunt illæ etiam literæ, quas frater tuus misit, quia de publicis omnia mihi certa nunciavit: quid in Germania Archistrategus, quid gener ejusdem in Dania egerit: Quæ hominum opinio de toto negotio, quid ipse futurum putet. Hæc sunt, quæ ambobus te interpretate respondenda duxi. Nunc porrò expectas, ut tuas quoque literas gratas fuisse, dicam: qui possim? nullas enim misisti:

missi nisi fortè charta pura, cui binas illas inclusisti, inter epistolas numeranda est. Quare, cum tuum etiam sermonem vehementer & inprimis desiderem, noli committere, ut missione potius, quam scriptione literarum, officio satisfacias. Vale.

LXVI.

CAussa amici effecit, ut scriberem: Occupatio tua svasit, ut breve id facerem. Summa igitur commendationis meæ est, ut ad liberale officium, quod ipsi sine literis meis præstitisti, quam maximus literis meis cumulus accedat. Quod ut velis, te vehementer, mi Comes, oro. Vale.

LXVII.

Nihil obscurius voluntate hominum. Binas literas tuas accipie, nec dum consilii tui propositi; de emenda domo certus. Adeo, quæ mandasti, ex ambigua scriptione non intellexi, ut nunc multo etiam incertior

certior sim, quam antea. Sed si adventus tuus anigmata tua declaraverit, tibi hoc quoque negotium citò & ut spero, ex voto confectum dabo. Tantisper vale & me ama.

LXVIII.

Sapè te oravi, ut mihi relationes rerum ab exercitibus gestarum sumptu meo mitteres. Nam pendeo animi de conflictu Argentoratensi, in quo de salute Imperii decernitur. Sed nihil adhuc petitioni meæ respondisti. Suspikor vel potius inteligo, meas tibi non esse redditas. Quid enim aliud putem? Quippe observantissimus officii familiaris commisisses tu scilicet, ut frustra à te quicquam peterem? fuerit hoc eorum, qui literas ultrò citroque datas non ex fide reddiderunt. Igitur ut certum sciam, quæ res gratificationi tuæ moram & impedimentum attulerit, erga tecum salutationis renovo & instauro. Responsio tua effi-

ciet, ut scribendi officium posthac duplicato studio exerceam, vicissitudine provocatus. Vale.

LXIX.

ET missionem frequentium paginarum laudo & officii redundantiam. Quippe cumulatius officium mihi, quam poposci, præstitisti. Ego enim si quid scires, quod ego nescirem, hoc solum rogabam, ut scriberes: Tu etiam ea significas, quæ hic melius scio, quam tu istic potes resciscere. Quod etsi non nullis supervacuum videri potest, tamen te rogo, ut pergas facere, quod facis. Scribe igitur non tantum, si quid scieris aut audieris, sed etiam, si quid suspicabere, quod mea interesse existimas. Vale.

LXX.

Vereor, ne commemoratio studii erga te mei arrogans potius, quam grata videatur. Officia enim, quæ ex debito præstantur, ostentationem non

non admittunt. Quapropter malote ex aliis, quam ex literis meis cognoscere, quid negotiis tuis cura nostra contulerit. Quin immò pro beneficio habeo, quod ea mandas, quæ magis commodè, quam strenuè agenda sunt. Quippe his mediocribus causis fortasse non impares sumus, quos tu pares summis oratoribus judicas. Sed ignosco gratum errorem, ex quo tantum ad me commendationis redundat. Quid abnuis? Sancti ipsi in eo, in quo prædicationem sui recusant, prædicari de se ac nominari volunt. Vale.

LXXI.

Quam propenso in te animo, quam singulari studio semper fuerim, Princeps ipse, si opus sit, testabitur. Tu quam invitus negotium meum susceperis, quam otiosè gesseris, totus senatus testis est. Quantum autem huic animo debeas, ipse existimare potes. Quippe

causam tuam agere coepi, antequam mihi has partes dedisti. Postea vero quam me in negotium misisti, operam porro dedi, quantam potui, ut vinceres, & superior discederes. Vicisti, superior discessisti. Sed nondum mihi crede, periculo omni functus es. Sunt adhuc alia, quae argui possunt: quorum defensio non minus diligentem operam ac studium requirunt. Quam quidem operam & studium mihi quoque rebus libenter impendam, si humanitatem & facilitatem meam agnosces; sin ingrata esse sentiam, quae tanto labore conficimus, non sane committam, ut aut tuis ingratum iis pro te causam dixisse aut dicendo odium tuum, quaevisse videar. Vale.

LXXII.

Oportunitatem idonei ad te iuvandum temporis sero praebuisti. Te enim oportuit ostendere, quae in re tibi opera mea esse usui posset.

Quip:

Quippe est hoc in more positum institutumque; majorum, ut ii, qui ope nostra indigent, orent, obsecrent, obtestentur. Postquam satis observantiae religionis factum est, & nunc auxiliis te meis & copiis libenter juvo & in reliquum, si opus fuerit, assiduitatem spondeo amici subsidii: Ut vobis liquere possit, non meae culpa, sed vestrae morae imputandum esse, quod non prius opitulatus sum. Vale.

LXXIII.

Saepe me interrogasti, quibus studiis vacui temporis horas traducerem. Cui percunctationi, quia antea otio diffuens honeste non potui, nunc tandem respondeo. Epistolas, quas diversis temporibus scripsi, emendo & edo: Si tamen is ego sum, qui dignum aliquid hominum oculis efficere atque edere possum. Sed edo. Nam hortatur me huius aetatis breve tempus, ut tandem aliquid moliar

R 7 ac

ac faciam, quod me vixisse testetur. Tuæ quidem res jam in fruge sunt: qui libris editis non unius seculi gratulationem, sed æternitatem immortalitatemq; tibi peperisti. Nostri adhuc fructus tanquam in herbis non fallacibus apparent, gustatu acerbi, donec maturati dulcescant. Itaq; inter meum metum & laborem lentus gloriæ nostræ profectus adolescit. Sed hoc malo, quam semente intermissa aut messe perditâ omni fructu laudis privari. Vale.

LXXIV.

Duo mihi ex literis Excellentiae tuæ grata provenerunt: Et quod me honore salutationis impartit, & quod studium meum circa ædificationem molæ, quam Nederhovius bis frustra tentaverat, Regi non ingratum accidisse, significat. Ergo eum primus conatus mihi tam feliciter ceciderit, facere non possum, quin denuo aliquid moliar ac struam, quod

quod novam mihi gratiam pariat. Latere & cemento hic opus est, ex quib; ædificia proximo incendio absumpta, reædificentur. Igitur officinas & fornaces instituem, ubi terra limosa, qua hic locus abundat, in lapides fingatur ac duretur: lapides autem ulsi in calcem temperentur. Quippe has partes mihi relictas esse video, ut prædioli hujus cultio, quæ à Nederhovio exordium cepit, à me sumat augmentum, h. e. ut prædiolo isto ad res multas utiles, & usui hominum necessarias, insigniter abutar. Quod meum consilium si Excellentia tua probaverit, me duplici rursus beneficio affecerit: Primum commendatione instituti mei gratiam benignissimi Regis mihi sartam tectam conservabit: Deinde animos mihi addet ad majora: quæ, ut omnia mea, Excellentiae Tuæ semper accepta feram. Illustris Patrone Vale!

LXXV.

ET si ingenium tuum studiumque cognoscendæ virtutis olim animadverti & probavi; tamen tam præclarum testimonium avunculi tui supervacuum esse aut usum nullum habere non patiar. Nam posthac bona naturæ & industriæ tuæ de illius potius sententia, quàm de conjectura mea expendam. Iusta enim existimatio est, quæ de intelligentiam iudicio proficiscitur: Nisi tamen ad stipulationem nostram intempestiva est, ubi tanti viri testimonium præponderat. Hujus igitur honori tribuendum arbitror, ut te in posterum non ut cognitum & exploratum probem ac laudem, sed ut jam probatum suspiciam & admirer. Vale.

LXXVI.

Liberaliter promissi, quod ad usum domesticum à me petisti. Sed ne plura à me expectes, quàm anni hoc tempore hic commodè comparari possunt,

possunt; præsentem copiam statim mittendam putavi. Sic enim ea, quæ propera ac sæva hyems vestra præterea requirit, maturè aliunde petes. Siquid tempore anni magis commodo imperaveris, nullo negotio atque adeo minoris parabo &, morem meum secutus, statim mittam. Quod opus est, bis gratum est, si citò præstatum. Vale.

LXXVII.

DEi beneficio res in Scania tandem ad manus atque pugnam venit: quæ pugna summa contentione pugnata gravissimum de meritis utriusque gentis iudicium fecit. Nam eo prælio hosti pudor & metus in posterum, nobis gloria & securitas parta est. In Germania res adhuc in discrimine versatur. Sed ista Divinæ curæ atque providentiæ permittenda sunt. Neque despero, DEUM immortalem, hostium iniustitia offensum, nobis contra iniquissimam conspiratio-

tionem auxilium esse laturum. Interim à nostris opera dabitur, ut & amissa in Scania ab hoste recuperentur & diminutis legionibus mature supplementum scribatur. Quòd si etiam classis, in qua una totus status provinciarum transmarinarum positus & defixus est, aliquando speratam patriæ operam præstare possit, dubium non est, quin brevi omnia secundissima nobis, adversissima hosti eventura sint. DEus hoc jubeat, nos nostraq; tueatur, te quoq; : cui novum auspicienti annum omnia fausta ac felicia ex animo precor.

LXXVIII.

Nunc demum omnibus letitiis incedo, postquam nobis salvus & incolumis rediisti. Nam per multos dies totus in metu fui propter te unum, ne aut mare ingressus proximis tempestatibus naufragium feceris: aut iter pedibus faciens, alicubi cecideris aut aliquid perfreris tandem;

dem: nam verbo Comici tui libenter utimur. Nunc ubi pro tristibus, quæ timui, læta nunciasti, salutis præsidem DEum precor, ut adversa, quæ in posterum de te suspicabimur, ipsidem vana & falsa esse velit: prospera autem, quæ tibi auguramur, firma semper & rata esse jubeat. Vale.

LXXIX:

Liberalitatem meam relatu vicissitudinis excitasti. Ita quippe comparata est ratio societatis humanæ, ut beneficium ex beneficio nascatur. Sume igitur nunc sylvestre munus & inde occupationes meas, hinc valetudinem conjecta: Me quam simillimo munere remuneraturus, si gaudia mea reciproco de occupatione & valetudine tua nuncio quamprimùm augebis. Vale.

LXXX.

TE curarum mearum, sicubi potes, libenter participem esse, cum sæpè alias, tum nuper in ædificatiuncula

cula mea vidi. Nullus igitur dubito, quin in hac etiam causa opera tua & studium mihi magno esse levamento possit, si citò redieris. Atq; haud scio, an nunc multò etiam simus juvandi magis: dum gravi in causa multipliciq; versantibus indies amplius negotii contrahitur. Sed te absente frustra hæc disputo. Quare interea dum agrorum tuorum vel fructus vel delectatio adventum tuum moratur, rogo, ut aliquid etiam temporis huic curæ impertias, quomodo adveniens me ex operoso molestoq; negotio explicare possis: ne, si nihil pro voto & sententia optimatum efficiam, etiam dedecori sim. Addet nonnihil commendationis cæteris tuis laudibus provisa amici securitas. Vale.

LXXXI.

BRuningius multo & vario & copioso patrocinio jam pridem probatissimi advocati nomen meruit. Et nuper

nuper meum quoq; iudicium assidua in tuendis clientibus, quos fidei ejus commendaveram, diligentia provocavit. Dignum igitur duxi, quem & ipse præcipuis amicorum adferberem & tibi diligentissimè commendarem; Facies, quod amici summa amoris conspiratione consentientes solent, & exemplum nostræ erga illum affectionis, ut hoc verbotar, non invitus imitaberis. Etenim hoc pacto pariter Bruningii gratiam augebis & securitati tuæ prospicies: quod is in posterum non mea solum & vulgi opinione disertus habebitur, sed intelligentissimi quoq; iudicio probatissimus erit: Tu verò non necesse habebis difficilibus temporibus defensorem quærere, cui te, tuas omnes opes fortunascq; committas, Vale.

LXXXII.

Facile patior, oblatum mihi tempus, quo amicitia tua uti fruique

possim : quamvis sciam , qui mihi ex ea fructus debentur, eos longè uberiorēs & præstantiores esse. Sed nunc mihi hæc parva & mediocria à te impetrare expetit. Domus nostra tota est in apparatu prandii, quod sponsalia mea requirunt. Quæso igitur, ut ex omni copia bestiarum terrenarum, volatiliū, aquatiliū, quas tua tibi rura, sylvæ, flumina suppeditant, ad dictum diem tantundem ferè mittas, quantum ad moderatum & honestum convivium ornandum satis sit. Nominatim nihil flagito : ne vel impudentia postulationis curas tuas præter bonum æquumq; oneret, vel verecundia nimia liberalitati tuæ modum ponat. Vale.

LXXXIII.

Morte Nederhofii agellus, quem is in districtu Uxculensi ex donatione Regia possedit, ad me pervenit. Nam cum miser & ærumno-

sus

sus senex Holmiæ in summa inopia rei pecuniariæ viveret nec se satīs aleret, Rex mihi permisit, ut ipsi pecuniam mutuā darē: Et, ne liberalis gratificandi voluntas mihi meisque fraudi esset, benignissimus Rex mihi insuper supra dictum agellum ea conditione donavit, ut, si Nederhofius moriens hæredem masculum non habuisset, ego in omne jus defuncti succederem. Cum autem nunc verear, ne quis malevolus prædiolum istud à Rege denuò, tanquam domino vacuum, impeteret; Te majorem in modū oro quæsoq;, ut mihi autoritate tua jus meum factum & tectum, ut ajunt, ab omni periculo conserves. Stabit apud me gratia perpetui beneficii, si me quamprimum securum ab hac parte reddideris. Vale mi Nobilissime Domine & clientulum tuum, quod facis, tuere.

LXXXIV.

LXXXIV.

PRO Statio meo iterum non modò cum magna prece, sed etiam summa cum diligentia scriberem, necessitudinem nostram tuamq; in me benivolentiam obtestans, nisi omnia ei, ut scribis, ultrò pollicitus esses. Non igitur minuiam beneficium tuum. Satis est optimo viro ad non mediocrem felicitatem, quòd Patronum nactus est, qui nullam commendationem requirit, qui sua sponte suoq; iudicio clientes defendit. Puto tamen pertinere ad amicitiam, quæ mihi cum Statio est, ut pro benivolentia, qua illum complecteris, me quoq; tibi obligatum esse significem. Spero enim fore, ut illum in posterum etiam magis iuves, si scias, plures tibi pro unius defensione gratias acturos. Vale.

LXXXV.

HERi à Frostio de omnibus rebus diligentes literas & unà tuas bre-

ves

ves accepi, quæ mihi vel ideò perquam grata fuerunt, quòd te citius expectatione nostra advenisse nunciarunt, atq; adeò, quod maximum est, salvum atq; validum. Reliquum est, ut de toto statu rerum tuarum me certiore reddas. Quod, ut quamprimùm facias, monere non debeo: quia tua summa & mihi cognita in amicos diligentia stimulo precum non eget. Vale.

LXXXVI.

OTio, quod nunc peroptatò nobis datum est, hic multifariam abutimur & plerumq; iis in rebus consumimus, ex quibus non utilitas, sed animi libera quædam oblectatio quæritur. Nam primùm hæc domus hortorum nobis amœnitatem suppeditat, ubi modò animo libero & vacuo flores decerpimus, viticulas numeramus, easque multiplici lapsu & erratico serpentes erigimus, & ad arbores proximas alligamus.

S

Modò

Modò tanquam in re seria versantes arbores putam9 aut decerptos ex iis furculos serimus, qui alteri seculo profint. Deinde spacia frugifera & immensa camporum peragrantes, modò in aliquo conventu agrestium agricolam de rusticis rebus disertè dicentem miramur: modo agrum bene cultum lustramus, quo nihil potest esse nec usu uberius nec specie ornatius. Modò singulorum diversa studia sunt. Alii leporum vestigia & odora canum sagacitate disquirunt, aut domicilia ferarum indagine sollicitant: Alii avibus & piscibus multimodis insidiantur. Quæ omnia si nobiscum ageres, majori cum jucunditate perciperentur. Quare fac quam primum ad nos accurras & his gaudiis, si tanti tibi sunt, nobiscum fruire. Sini nihil illorum de movet, tædio saltem communis ergastuli aliquando rus evola, &, quod reliquum est feriarum, in pari delectatione

tione tamq; multiplici absolve. Ad laborè alacrior è loco quietis & tranquillitatis pleno reverteris. Vale.

LXXXVII.

Qvòd tibi consilium profectiois tuæ feliciter prosperèq; evenit, inter gaudia mea numero: qui eo semper animo fui, ut res secundas amicorum à commodis meis non alienas putarim. Qvotus enim quisq; solido veròq; gaudio fruitur, qui suis tantum prosperis exultat? Uberius gaudet, qui aliorum quoq; felicitate lætatur. Qvanto igitur gaudio me affectum putas, cum te susceptum negotium in aula è voto confecisse & satis feliciter anni jam adverso tempore navigasse cognovi? Qvippe unis literis me & profectiois tuæ & reversionis certiores fecisti. Quæ duo tibi quidem temporibus disjuncta, mihi pariter evenerunt: Atq; ideò magis delectarunt, quàm si mihi separatim nunciata essent.

S 2 Nunc

Nunc non molestè fero, proventum
literarum tuarum serum fuisse. Gra-
ta cunctatio est, quæ simul commo-
da plurima largitur. Vale.

LXXXIIX.

Rectores generis humani decet
cum semper pluribus prodesse,
tum maximè jacentes & spoliatos
defendere atq; protegere. Cum igitur
te meritorum multorum ma-
gnorumq; ratio eodè in fastigio hon-
oris & potestatis collocarit, famæ &
gloriæ decus iisdem artibus conqui-
re, Nec procul tibi quærendus est,
à quo hunc fructum capeffas; Prope
te vel, ut spero, mox planè tecum
habitabit, qui nunc opem ac præsidium
tuum implorat. Intelligis jam pridè
Patrone, me de Gernero loqui, do-
cto homine & inprimis erudito, cun-
ctisq; reb; præter fortunam ornato;
sed quæ ipsa quoq; ei benevolentior
aderit, si tuo exemplo provocabitur.
Atq; ideo ille tibi nunc supplex man-
ten

tendit, tuam fidem obtestatur, tuam
potestatem ac tuas opes intuetur.
Restat, ut ipsi libenter præstes, quod
pro loci ac dignitatis tuæ viribus
potes. Innocentiæ facilis & prom-
pta defensio est. Vale.

LXXXIIX.

Sæpius beneficium à te petere non
piget, etiamsi ipse eo non egeo.
Eorum autem, qui egent, infinita est
multitudo. Inter quos miser ille &
infelix, qui tibi hanc paginam red-
didit, ope & auxilio tuo inprimis di-
gnus est. Hoc indicasse satis esse ju-
dico: Cum sciam, industriam tuam
pro illo plus effecturam, quam vota
nostra à justitia tua possunt exigere.
Vale.

XC.

Precator ad te venire constitue-
iam: tu monitorem libentiùs au-
dis. Quippe ea est magnitudo animi
tui, quam sum semper admiratus
sem-

semperq; amavi, ut vota tuorum favore præcurras. Ergò laborem rogandi lucrifaciens breviter tantum expono, quid cupiam. Subsidiū appropinquantis senectutis à Principe peto: prædiolum, cuius possessor nuper sine hæredibus decessit. Hoc qui mihi à Principe impetrare possit aut velit, præter te, neminem habeo. Suscipe ergò etiam hanc causam laborantis amici & malum ætatis, quod incommodum valetudinis conduplicat, bono rei familiaris solare. Vale. XCI.

ET si non dubitabam, quin hanc epistolam rumor de clade oppidi esset celeritate sua superaturus; tamen cum is ad te proficiscatur, quem sine literis meis ægrè dimitto, officium meum vel supervacaneum, quam nullum esse, malui. Ægrè quidem scribo, fateor: sum enim æger animo & corpore confectus. Scribo tamen vel quia jus amicitiae id flagi-

tab

tat, vel quia hæc scriptio acrem curam & diligentiam non desiderat: Cum amicus, cui DEUS comitetur, coram omnia accuratius ac plenius possit exponere. Illum igitur audi & contractionem tristioris paginae productione lætioris epistolæ Compensata. Vale.

XCII.

NON contentus libertate & licentia, quam mihi in cellam tuam vinariam dedisti, aliis ad eandem aditum aperio. Legatum principis mei commendo, an uxorem potius? Nam querela utriusq; eadem ac par de potu, qui vulgò temperatur & venditur: Cujus non gustatus solum, sed aspectus etiam injucundus est. Tum verò pistor domi nullus, nulla cella: panis ac cerevisia à propola atq; de cupa. Igitur ad tuam liberalitatem confugiunt: qua illos ita uti velim, non ut quotidie fores pulsent; sed interdum vel nonnunquam, cum pertæsum est quotidianæ vitæ,

S 4

potum

potum peracerbum gustui scutella dulciculæ potionis, quam è cella tua fument, temperent. Tu vota illorum vel mea causa admittes, & mea omninò. Nam pari studio ac diligentia apud DEum pro incolumitate tua interponuntur. Vale.

XCIII.

CLadem afflictæ civitatis, tibi literæ & preces absentium, mihi propior aspectus & miseratio commendant. Tibi, ut in hac communi miseria divinum aliquod auxilium & Numen ostendas: mihi, ut idem à te petam. Quæ igitur partes meæ sunt, his fungor, teq; majorem in modum oro, ut lectis infelicium literis, cladem & propè interitum florentissimæ paulò antè civitatis Principi pluribus verbis exponas & firmum subsidium ipsi ad recuperandum pristinum decus impetres. Nam nisi à Principe restituta sit, illa se in hoc squalore, in his miseriis, sine remedio

dio & allevamento mansuram veretur. Ergò operam dabis, ut animum Principis in eam partem moveas, quæ restitutionem & salutem afflictæ ac propè desperatæ civitatis promoveat. Vale.

XCIV.

Mandata tua exequi non piget, quamvis nihil invicem operæ ac studii promississes. Olim negotia multorum & non gravatè & gratuito agimus. Atq; utinam diligentia nostra quibusdam non videatur intemptiva. Propè est, ut relatam mihi operam putem, si sciam, quæ optimo animo atq; optima fide ago, non ingrata esse. Vale.

XCV.

Tibi quidem res in Scamia & apud Stetinum à nostris feliciter gestæ amplum gaudium suppeditant; sed ego hanc jucunditatem augeri posse existimo, si de rebus tuis domesti-

mesticis lætum quoq; nuncium acceperis. Nam lætitia ex publica felicitate percepta communis tibi cum aliis esse debet; gaudia prosperorum tuorum præcipuè tua sunt. Ergò ubi gloriosa victoria exercitus & omni fortuna nostra satis lætatus es, patere, ut ad eam hilaritatem tanquam cumulus accedat ex literis nostris: quarum hic scopus est, ut tuos omnes rectè valere atq; in omnium rerum prosperitate vivere cognoscas. Hæc tibi ad omne gaudium sufficere posse existimo: Tum literis tuorum, accurata enarratione prosperorum omnium, speratam gratiam præripere nolo. Vale.

XCVI.

ANte tuum à nobis discessum literas de omnibus rebus diligenter daturum promiseras. Annus ab hoc promisso intercessit, cum non verbum Principi, non literam quamvis unam amicissimis tuis reddidisti. Sed

Sed rupisti tandem silentium & moram ipsam longiore epistola pensasti. Illam igitur in modico gaudio legi: Debitoq; amore & studio respondens, hoc te rogo, ut in posterum orationis ubertati assiduitatem addas. Magis enim varietas literarum & frequentia delectat, quàm si magnitudine voluminis, tanquam fluctu, obruaris. Sed in hoc postulato non multus esse debeo. Neq; enim fas esse arbitror, id me rogantem abs te impetrare, quod superioris temporis consuetudo, quod pristinus mos tuus scribendi ultrò pollicetur. Quæ in usum nostrum rariùs incidunt, veterem consuetudinem non statim mutant aut tollunt. Vale.

XCVII.

NOli putare, me quicquam maluisse, quàm mandatis tuis jam pridem satisfacere. Sed damno mihi esse non debet, quòd villicus tuus pecuniam tibi à mercatoribus profu-

frumento debitam non pridem exegit. Nam ab illis in quaestum & foederationem translata vix tandem recuperata est. Ego certè pecuniam istam eadem hora, quàm numerata est, reddidi optimo & praestantissimo viro Janfonio, qui eam tibi, simulatque Holmiam veneris, fideliter reddet de manu, ut ajunt, in manum. Vides, rationem officii mihi apud te omnem constare. Ego tamen pro isto labore non postulo, ut mihi gratias agas: quia Janfonijs eas mihi abundè relaturus est, si hoc officio tibi commendatior existet. Una voti mei cura est, ut ille in amicitiam tuam se penitus immergat, redeatque propediem praeco & buccinator singularis benevolentiae tuae: Cujus fructus ad illius commodum, laudatio ipsa ad gaudium meum pertinebit. Vale.

XCIX.

Dignus est amplissimus ordo mercatorum

catorum suffragio praeclearae mentis tuae: quia multa undique apportando, multisque sine vanitate impartiendo, pariter splendori & utilitati Urbis consulit. Nam absque hoc genere hominum earum rerum, quibus abundamus nulla exportatio, nec illarum, quibus indigemus, inventio ulla foret. Igitur eos, qui Reipublicae tam fructuosi, nobis universis commodi sunt, ope praesenti juvare oportet. Quod te rogo ut nunc facias atque adeventibus auxilium feras, & sustentandis commercijs utile & universae provinciae celeritate remedii profuturum. Vale.

XCIX.

Meretur opem tuam causa Curionis nostri: Cujus in re familiaris augenda diligentiam & parsimoniam valde laudo, fortunam ita doleo, ut te existimo meam dolere & levare posse. Fatalibus malis, multitudine litium & varietate causa-
rum

rum, infelix diu multumq; conflictatus est. Spero, ipsi omnia pro bono cessura, si patrocinio tuo juvabitur. Verum commendationem meam ultra progredi non oportet: Cum suavissimis moribus tuis proprium ac peculiare sit, miseris & laborantibus nihil negare; ea autem, quæ nos vehementer cupere intelligis, sponte tua præstare. Vale.

C.

Officinam armorum hic instituimus? Cujus usus peregrini opificis manum requirit. Copiam autem istorum hominū finitima vobis Regio subministrat. Quare te rogo, ut des negotium intelligenti cuipiam, qui optimum quemque fabricatorem eligat & huc quam primum sumptu meo mittat. Ego vicissim mandati tui non indiligens ero, si usus tuus aliquid ex his locis postulaverit.

Vale.

CHRISTOPHORI GERTNERI

CHRISTOPHORI GERTNERI

a

GARTENBERG

EPISTOLARUM

FAMILIARIUM

CENTURIA

QUINTA

AD

DIVERSOS.

I.

Quærenti mihi multumq; & diu cogitanti, quomodo possem, quod jussisti Patrone, facere; tandem in mentem venit, prorsus non licere ei, a quo nulla injuria affectus sis, malè cupere, nedum facere. At filius tuus erat, tu jusseras. Ignosce, si cautior fui in puniendo, quam tu in judicando fuisti. Timui, & an non debui? timui sanè, ne quis me perfidiae

diâ accusaret, si eum, qui se fidei
meâ commisisset, immò quem ipse
commiseras, ob leve delictum in tur-
pe istud ergastulum, in illam mise-
riam & calamitatem detruderem. Fa-
cile erat, fateor, causam domi apud
te dicere: à te etiam nocens absolvi
poteram. Apud judicem in foro,
apud multitudinem quid respondis-
sem? Cogita, quæso, quid de me
judicaturus esses, si alio iubente tale
quid fecissem? credo, haud difficul-
ter perfidiam in me agnosceres. Et
si debui parere patrono, annon igno-
scendum est, si non potui: nisi ta-
men libenter paruissem, si jure li-
cuisset discipulum perdere, si client-
em, si bene meritum. Tentavi ta-
men mandatis tuis utcumq; morem
gerere. Nam cum magistro ergas-
tuli locutus sum, locum inspexi, et-
iam de mercede agere coepi. Sed
ago gratias diligentiae meae, quae in
illo homine nihil nisi asperum, in lo-
co

co nihil nisi triste, in mercede nihil
nisi iniquum invenit. Ignosce patro-
ne, non licuit discipulum perdere,
non debui clientem, non potui bene-
meritum. Vale.

II.

Superioribus literis meis, quas te
jam accepisse arbitror, primo &
maximo mandato tuo te custodien-
do refrenandoq; filio generatim re-
spondi: Restat, ut de rationibus &
argumentis, quibus uteris, singulatim
differam. Duas tibi causas esse scri-
bis, cur in filium animadvertas: al-
teram, ut injurias tuas ulciscare, al-
teram, ut filii libidinem refrenes atq;
coërceas. Ut de priore parte prius
dicam, non video, quid tibi tandem
injuriæ factum sit, aut quomodo tibi
omnino injuria fieri potuerit à filio,
cum nec verbis te, quod sciam, nec
turpitudine vitæ offenderit. Qua-
pro-

propter te hortor mi patrone, ut, quod iudex in alieno crimine facere soles, nunc in filii peccato facias: omnia diligenter circumspice, verū in quare atq; excute, aliis magis, quā tibi crede. Quōd si reverā aliquod ejus dictum aut factum reperias, in quo te læsum esse arbitraris, delictum, si leve est, filio condona; sin grave, pœnam tempera: longeq; in tua, quā in aliena injuria vindicanda placabiliter esto. Ad filium quod attinet, eum facilius emendabis miore pœna. Nam post veniam cautiore erit, ne pœnam conduplices. Quōd si ne hæc quidem spes te sustentat, jube illum redire. Domū septum liberali custodia tenere si opus sit, potes tueriq; ut adultam virginem sine ignominia, sine dedecore. Utrum facere velis, ipse sciveris: dum hoc scias, filium non tam ulcisci oportere, quā sanare. Vale.

III.

III.

EPistolam tuam, mi patrone! illam dico epistolam, quam postremō misisti, irarum & stomachiplenam. Hanc cine accusem, an illam, quæ hanc peperit? an animum tuum, qui & illam & istam? Quippe non tam nullius judicii sum, ut tandem non intelligam, quid priore epistola actū sit. Domo tua me ejicere parabas: Turpe erat dicere, exi Gertnere, in exilium proficiscere. Colorem quærebam, quo idem agens, diversum egisse videreris. Filium me occidere jubebas: quid enim aliud est, ex societate hominum exturbare, quā occidere? Ex altera parte jussa tua erant, ex altera jus fasq;, exilium utrinq;. Nam si paruissem, jam exulabam. Quo enim ore me tuis post tantum facinus ostendissem? aut quis tuorum post tam insignem perfidiam me visum auditumq; voluisset? Nunc cum non parui, immo cum

cum parere non potui, similiter exulo. Ergo nihil interest, filium tuum occiderit aliquis, an seruarit? at meruerat: audi, etiam si salus patri est, filium mori, scelus tamen est, occidere. Sed ergastulum remedium putasti degeneris filii: Cur ergo domi non aliquod conclusisti? cur me praesertim ductore illum in lucem & celebritatem misisti? Tenuis est omnis simulatio: pellucet, si inspexeris. Scilicet non tam de custodia filii tui, quam de exilio meo in prioris epistola egisti. Nam postquam domo tua exulo, de carcere & vinculis ipse conticuisti & aliis silentium fuit: neque tu quidem immerito. Nam non longe a carcere & vinculis abest, qui filium unicum ob leve erratum carcere & vinculis dignum iudicat. Vale.

IV.

Nemo prudens mutationem consilii inconstantiam esse dixerit.
Vides

Vides quod collineet praemissa sententia? nempe ut respondeam interrogationi tuae, cur consilium de deserenda provincia mihi non constanter perpetuodque placuerit. Dicam tibi: Rebus meis in summam invidiam adductis, cogitare coepi, an non praestaret, fortuna semel cedere, quam toties cum adversissima concurrere. Nec inopportunum videbatur huic aetati, de provincia, quam toties oppugnassent inimici, tandem cum bona gratia Principis decedere. Cur ergo, inquis, eam nunc retines? audi, primum non semper eadem mens, idem animus miseris est, nec his talibus mutationem consilii facile quisquam vitio vorterit; Deinde illud cogitavi, non oportere injussu imperatoris de statione decedere. Abire magistratu cupiebam taedio assiduae infelicitatis, retinuit spes melioris fortunae, Terrebant irae adversariorum accusationes minantium

tium ; erigebat iustitia Principis, quæ neminem inauditum aut in defensum perire sinit. Nunc tu iudica, an mihi vitio vertendum sit, quod de deferenda provincia cogitavi, cum multis & magnis incommodis confictarer ; an potius laudi dandum, quod, rebus meis in summam invidiam adductis, de Republica non desperavi. Vale.

V.

Miseret me tui mi Cauline, quod ex misero isto & laborioso vitæ genere nondum erepsisti. Res quidem in universum misera, fateor, & miseranda est hic homulus ad labores & molestias natus ; Is tamen longè miserrimus est, qui non sibi, sed aliis vivit ; qui ad alienum nutum dormit & vigilat : ad alienum appetitum jejunit & comedit : ad alienam libidinem amat & odit. Hæc quippe conditio est eorum, qui aliis inserviunt : Miseri profecti & miserandi,

randi, quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo & tam brevi non ad scopum, quanta possunt celeritate, contendunt, h. e. sibi vivere incipiunt. Hinc multi, cum per mille labores & molestias tandem ad aliquam requiem atque otium se pervenisse putarunt, in ipso itinere defecerunt & non vitæ, sed morti se appropinquare senserunt. Quapropter etsi hoc sæpè à me dictum est, dicendum tamen est sapius : Nunc nunc dum ætas & vires in integro sunt, tibi vivere incipe, vitamq; quantumvis tenuem & inopem splendido famulatu longè antepone. Est enim genus injuitæ servitutis, cum hi sunt alterius, qui sui esse possunt : aut cum hi famulantur, qui vel unum servulum alere queunt. Vale.

VI.

CUm scripsi, me desiderio teneri oratoris vestri videndi & cognoscendi, non animadverti, posse illum intem-

intempestivè ad me domum venire.

Ille verò alienissimo tempore venit meq; ægrotum & vehementer occupatum offendit. Alioquinihil unquam vidi libentius. Nam non solum orator s̄vavis, verum etiam cæteroquidē doctus sapiensq; philosophus visus est esse. Jam verò quàm verecundum in loquendo! quàm commodum audiendo! quàm tandem comis, besnignus, facilis ad omnem rationem humanitatis! Ut verbo dicam: Orum non ignorabant, ejusmodi potentia ex optimo more & sanctissima disciplina. Felicem scholam vestram hoc oratore, eodemq; vivendi præceptore atq; dicendi Accessit ad hanc delectationem jucunditas literarum & puritate sermo, assis simplicior, quàm cæteri. Nam nis animum legentis deliniens & quasi voluptate quadā perfundens. Quis nā, nihil habeo, nisi hunc animum, ad promptum & alacrem? Vale,

VII.

Non dubito, quin mireris Patrone, quid causæ fuerit, cur ego potissimum inventus sim, qui cum potentissimis hominibus in arenam descendere, cum multi docti & experti viri, qui causam publicam minore labore, majore autoritate inveni potuerant, spectatores se otiosos præbuerint certaminis & discriminis nostri. Quippe pleriq; illorum non ignorabant, ejusmodi potentia ex optimo more & sanctissima disciplina obviari eundum esse; obviam ire ipsi propter potentiam paucorum verebantur. Quid ergo? Ego solus temerarius & audax præteris? nequaquam: Sed tantò fortunatior, s̄vavitare & puritate sermo, assis simplicior, quàm cæteri. Nam illi in his causis sæpè multumq; versati, memoria præteritorum, futurorum providentia, sic cogitabant, non posse se contra tam potentes & gratiosos homines dicere, quin simul in odium illorum offensionemque

quæ incurrerent, quorum in fide & clientela isti sunt. Ego si quid liberius dixissem, ignosci vel simplicitati meæ vel imperitiæ poterat. Itaque causæ publicæ inopinatus propugnator & quasi patronus extiti, non uti firmissimo præsidio defenderetur, sed uti ne omnino non defenderetur. Quantum autem profecerim, meum non est dicere. Consilio certe, quantum potui, labore plus pendè quam potui, pro commodo Principis & utilitate publica excubui. Et si nihil aliud, hoc tamen effeci: spem bonis ostendi, timorem improbis injeci. Cæteri meliores erunt, aut in eam potius partem peccabunt, quæ est cautior. Vale.

IIX.

SI quis fortè miratur, quid sit, quòd cum ea mente semper fuerim, ut prodesse multis, obesse nemini optaverim, nunc, versa subito & in pejorem partem mutata voluntate,

honestissimis

honestissimis viris negotium facesam; Is, si hujus rei causam rationemque cognoverit, simul consilium meum probabit, & quod facere institui id me jure & mea quadam necessitate facere, fatebitur. Quippe cum superioribus mensibus in aula venissem, à Principe evocatus, eoque animo è provincia decessissem, ut multorum hic causas & non gravatè & gratuito defenderem, accusarem neminem: Rebus satis feliciter gestis ita redire in provinciam poteram, ut clientibus meis gratam nominis mei memoriam relinquerem: Cum subito exorti sunt, qui non tantum moram & impedimentum celeritati redditus nostri, sed etiam actionem mihi ex L. diffamari non obscure minarentur. Est irati animi proprium, cupere, ei, quo læsus à sit quam maximum dolorem inurere. Ego satis habebò, primum, si fieri potest, integris amicitiiis nostris, caput & fa-

T 2

mam

nam meam defendere: deinde causam Principis ita tueri, ut nec officio meo defuisse, nec impetu aut temeritate, sine iudicio aut modo, aliquid fecisse videar. Hæc est animi mei affectio, hoc susceptum consilium, à quo unguem transversum non discedam, si per illos licebit, qui se à nobis lacessitos esse tum maximè querentur, cum ad pugnam ultrò provocaverint. Sed fortassis ego vaticinor & res ista hos exitus habebit quos timeo. Vale & mecum vota suscipe, ne quid aliter sit ac deceat: iterum Vale!

IX.

UT gaudium nullum diu est! Nunciatum erat, Regem discordias civium, majores inter ac minores regentes, oraculo suo dissipasse, atque amicitias contraxisse perpetuò duraturas. Hic tu quibus lætitiis incessisse populum univèrsam, quo gaudio triumphasse omnes existimas?

Appar

Apparuit sanè civitati rem istam non modò voluptatem, sed quandam incredibilem voluptatem attulisse. Omnes enim de tribunis suis mirabiliter loquebantur & sentiebant: quos credebant, ut tandem aliquando tranquilla pace & concordia fruerentur, vigilantia sua perfecisse. Quid expectas? Vix biduum intercesserat ab hoc nuncio, cum rem pessimè mutatam & animos magni amoris conspiratione consentientes penè ad cædem & funus mutuam conversos vidimus. Nam ut concors & conveniens civitatis status non omnibus æquè prodesse, quibusdam etiam, qui commoda sua ex incommodis aliorum quærent, nocere videtur; ita subito meditati sunt, quomodo cives, novo consensu conjunctos, in pristinam dissensionem reducerent. Amplam autem occasionem destinata perficiendi ex scripto Regio nacti sunt. Nam

T 3

cum

cum constitutum esset, ne quis in posterum simul cerevisiam temperaret & mercaturam faceret; Illi hoc ita interpretati sunt, quasi omnes etiam venalitii à quæstu cerevisiario prohibendi, & quod amplius putò, quæ jam pridem admissi essent, è societate ejiciendi forent. Quæ sinistra voluntatis Regiæ expositio cives tanquam repentina aliqua vis ac tempestas perculit atque perturbavit. Nam quia major pars civium propter angustiam rei familiaris & difficultatem nummariam ad quætuosam illam mercaturam, multa undiq; apportantem, multisq; copiosè impartientem, aspirare non potest: Tenuis autem negotiatio eos non fatigat; subsidio sibi negotiorum cerevisiarum comparaverunt: quod illis ex mente interpretantiù per rescriptum Regium planè ademptum erat. Itaq; quod initio gaudium fore putaverant, id illis exitium extiterat.

Verùm

Verùm explicatione melius de animo Regis sentientium discussa est illa caligo, quam malevoli offuderant: diluxit, sudum est, videmus omnia. Restat, ut S. R. M. benignam suam erga cives voluntatem novo rescripto declaret & hostes concordie publicæ dignis pænis afficiat. Nam qui conjunctionem civium dirimunt, eos leges morte, exilio, vinculis, damno coërcent, Vale.

X.

NOvi humanitatem tuam: atque ideò plurimos tibi commendare non dubito. Quo enim ore poscentibus hanc operam recusemus? Non modò id humanitatis non esset, sed etiam immanitatis, omnem humanitatem repellentis. In Meisnero autem commendando non solum ea causa est, ut nequis inhumanitatis me arguat; Sed etiam hac justior, ut conjunctioni affinitatis satisfaciam.

T 7

Nam

Nam si pietate propinquitas colitur, qui affinem non iuvat, cum potest, impius sit necesse est. Igitur ipsi patrocinium tuum evenire nimis cupio. Dabis hoc precibus meis, ut primum illum meo suffragio diligas: Deinde, ut votis eius tantum tribuas, quantum virtute & studio erga te suomerbitur. Vale.

XI.

TE salvum rediisse volupe est. Sed utinam tecum una rediisset re-
cta & à Numine Deorum tracta ratio, præmiis afficiens honesta, pænis contraria! sine qua nec domus ulla, nec civitas, nec gens stare nec mundus ipse potest. Quanquã ab illis ipsis interdum ejicitur & relegatur in terras solas, quibus servanda mandatur. Verum non dicam hoc apertius aut significantius: Cum Curio noster hanc tibi figuram interpretando explanare possit ac velit. Quem ut benignè audias, & desideria mea illo
anni-

annitente promoveas, vehementer te, mi Comes, etiam atque etiam rogo. Vale.

XII.

INter præcipua scripta, quorum lectione delector, opuscula tua numero: docta profectò & abundantia sonantibus verbis uberibusque sententiis. Hoc enim est, quod eloquentiam dicimus. Ea igitur quanto diligentius lego, tanto sæpius legenda existimo: Et si quando accidit, ut novi aliquid mittas, illud sic avidè arripio, quasi diurnam sitim explere cupiens. Quippe difficilis satietas rerum bonarum est: quæ desiderium nostrum tunc maximè concitant, cum illud explere videntur. Perge igitur mittere, quod avidè arripiam & diligenter ac sæpius legam. Sic enim fiet, ut & sitim tam bonarum rerum identidem expleam & rursus vehementius sitiam. Vale.

XIII.

Nisi tuum erga me animum pluri-
bus argumentis notum atq; cog-
nitum haberem, sanè quàm moleste
ferrem minaces & acerbas literas,
quas paulò antè ad me misisti. Nunc
cum sciam, consuetudinis potius tuæ,
quàm indignationis aut stomachi
esse, cogitata fidenter & intrepidè
proloqui, tecum libenter in gratiam
redeo. Credo enim, te minaciùs
omnia scripsisse, quàm facturum
esse: præsertim cum ego de te nihil,
sed tibi omnia dixerim, ut amicum
debet, atq; eo planè animo, quò so-
leo mea omnia tecum communica-
re. Quòd si omninò animus tibi est,
mulierem, quam dixisti, in jus voca-
re aut quavis etiam alia ratione puni-
re, tua, quæso, ita misce, ne me ad-
miscas; sin placabilitate & svaivitate
morum experiri vis, quid amicus po-
tius possim, quàm inimicus, tibi pro-
mitto atq; recipio, me vicissim omnia
san-

sanctissimè servaturum diligentissi-
meq; facturum, quæ tibi porro gra-
ta esse cognovero, Vale.

XIV.

ITa quidem te meruisse de me scio,
ut crimen ingrati animi subire nun-
quam possim. Fit tamen nescio quo-
modo, ut, cum nondum tibi de prio-
ribus satisfecerim, denudò aliquid po-
scam, cui solvendo non sim. Id qua-
le sit, paucis tibi expediam. Regina
me sibi per hos dies ruri adesse iussit:
Cujus literis tua quoq; accessit hor-
tatio. Mihi, si meliusculè haberem,
hujus officii facilis explicatio foret.
Nunc, cum crudo adhuc vulnere et-
iamnū medicamenta adhibeam, gra-
vis est pudori meo debiti obsequii
excusatio. Sed verecundiam meam
æquitas Reginae & tua suffragatio
levabit. Scio enim, malle vos, me serò
valentem, quàm statim infirmum ad-
esse. Quid, quòd mihi tantis affecto
T 6 vulne

vulneribus, turpe & quodammodo infame foret, lætos adire vultus? Fortasse serenum valetudinis vestrae interventus meus conturbaret, infirmaretq; lætissimarum imaginum notas. Vides, quid iratae meae fortunae conveniat: quam irritat magis, quam placat, qui plagam acceptam statim dissimulat & occultat. Hæc si tibi iusta, si vera, si necessaria satisfactio videbitur, dabis operam, ut Regina gratia mihi eadem ignoscat, quam me sibi adesse voluit. Sin ficta aut falsa censebitur, ego, si ingredi non possum, vel testudineo gradu ad vos repam & morbum omnem perpetuo abjurabo. Vale.

XV.

Quod epigrammata mea tibi nec illiterata nec insulsa videntur, ex abundantia amoris est: qui recta & prava non facile dijudicat. Sed me falsa hæc opinio in errorem inducit. Nam præceps feror ad scribendum fiducia

fiducia placendi. Et tamen si quando ad sanio rem mentem redeo, alios iudices tibi dissimiles metuo & reformido. Quapropter velim, tibi tantum legas, non aliis, quæ inchoata & imperfecta mittimus: quamquam tamen aliis quoq; non contemnenda videri intelligo. Sed illi fortassis propter ignorantiam artis sic iudicant: quod te minimè decet, qui cum omnibus Musis rationem habes, ab illis nempe educatus & altus, Vale.

XVI.

Fecisti benigne, quod vota & preces meas de investigandis manuscriptis prævertisti: quamquam illud, quod nunc misisti, ita est corruptum, depravatumq; inscitia librariorum, ut lector ejus egeat lectore, interpretes interprete. Proximè futuris diebus mittam victorem meum, hominem doctum & in his literis intelligenti iudicio: Ut ex omni copia

T 7 manu-

manuscriptorum antiquissimū quod-
que eligat ematq;. Certè enim ve-
tustissima quæq; esse solent correctæ
& emendatæ maximè. Hæc igitur
tibi cura sumenda est, ne interim,
quæ optima sunt, aliorum defloret
electio. Nam si Bibliopola cætera
non pluris, quàm hoc, venditurus est,
fortasse etiam minoris, me paratum
& facilem emptorem habebit. Vale.

XVII.

TUa quidem scriptio mihi sem-
per fructuosa & utilis est: Meæ
literæ rerum tantum notis, id est,
verbis nituntur. Sed tu, ut benignus
æstimator officii alieni, eas æquè pon-
derosas & frugiferas esse existimas.
Quippe amicos putas, etiam si nulla
mutua intercedat utilitas, tamen
propter se ipsos esse amandos. Itaq;
quod unum possum, crebro sermone
me non mutum aut adversum bene-
meritum elingvem ostendo: cum
sciam,

sciam, id tantum apud te momenti
habere. Sed Principi quoque ejusque
munificentia epistola, quam vides,
satis loquace gratias egi. Exiguas pro
beneficii magnitudine, uberes pro
conditione facultatis nostræ. Quam
epistolam si Celsitudini ejus decen-
ter insinuare tuæq; juvare oratione
volueris, benignissimus Princeps vel
ideò me non ingratum judicabit,
quòd beneficium se apud non imme-
morem collocasse cognoscet. Vale.

XIX.

Teneo, quam expectabam occa-
sionem: idoneam illam quidem
ad scribendum, sed non amplam.
Quippe amor & studium meum
grande aliquod volumen literarum
postulabat, festinantis acceleratio
parvam hanc paginam. Quare nunc
sola salutatione auctus vicissim capta-
bis opportunitatem mittendi, quod
de te gaudeam: Et, si talione dele-
ctaris, contractionem meam impunè
iiii-

imitaberis. Quamvis enim literas tuas & sumam cupidè & legam libenter: plerasq; autem semel atqve iterum ac sæpius relegam; Meæ tamen parsimonix concius, non audeo longum & saturum à te sermonem expectare, qui brevem & jejunum ipse miserim. Vale.

XIX.

Beneficentiæ tuæ idèo sæpius gratias ago, ut novum subinde beneficium merear. Paucis antè diebus in causa conterranei mei beneficam tuam voluntatem satis expertus sum, etiamsi res non successerit. Et eam causam tibi commendaveram, ut justam & æquam, ita præsidio tuo dignam. Nunc rursus appello & fortè interpello, dum opem tuam invoco, non quidem pro conterraneo meo, sed tuo. Quem si tibi diligentius commendare velim, nihilo plus agam, quàm si conquisitis rationibus tibi syadeam, ut te ipsum diligas, ju-
ves,

ves, defendas. Non autem hic de causa judiciali aut litigiosa agitur; sed de pacto amico conventoq; amabilissimo: Cui non iram, non odium, sed amores & Veneres inesse dixeris. Quippe optimo viro jamdudum filia unica veteris amici pacta fuit: quæ post mortem patris in potestatem tutorum venit. Illi nuptias, hoc est, consummationem destinati matrimonii primùm obtentu luctus, mox aliis prætexis ad summum arbitrium libidinemq; eluserunt: vanis quidem illis & frigidis: sed frigidiore nullo, quàm quòd virginem plus viginti annorum viro nondum maturam clamitant. Quod per summam fraudem & malitiam fieri, nemo est, quin videat: Et tua prudentia has artes iniquas & illicitas esse, non negabit. Quid igitur restat? Hoc enim, ut iniquitatem tutorum more tuo reprimas, & populari tuo sponsam quasi postliminiò reddas, Illud justitia tua,
hoc

hoc amor amantium à te flagitat.
Vale.

XX.

Rumor hic sparsus est, Legatum,
de quo nuper scripsi, id apud vos
agere, ut aulae Czaræ Majestatis
persvadeat, munimenta & propu-
gnacula hujus civitatis proximo in-
cendio ita labefactata atq; convulsa
esse, ut uno quasi fato simul cum ædi-
ficiis corruerint. Per Dei autem gra-
tiam fatalis ista flamma, quæ bona
pars civitatis conflagravit, nullum
munimentis nostris damnum, nullum
propugnaculis intulit. Non enim
ex glebis aut cespitibus, quemadmo-
dum ille vel falso credidit vel studio
mentitus est, sed partim ex saxo mu-
rali eoq; incombustibili, partim ex
pura solidaq; terra, quæ & ipsa nul-
lum ignem concipit, fundata & ex-
tracta sunt. Itaq; Dei beneficii val-
lum nostrum & tota munitio nostra
ab incendio isto intacta inoffensaq;
per-

permansit. Quod tibi ideo pluribus
significandum putavi, ne aulam Cza-
ræ Majestatis à malevolo isto spe
fallaci potiundæ per occasionem ur-
bis lactari patiaris. Deinde perti-
nere ad officium meum arbitratus
sum, te certiore facere de copiis,
quæ jussu Reg. Majestatis in Finno-
nia & Ingermannia contrahuntur: ne
idem ille versutus aulam ob eam
quoq; rem in atrocem suspicionem
adducat. Quippe cum initio anni
pars præsidii Rigenis in Sveciam
mitteretur, necesse fuit, in locum
istarum cohortium totidem cohor-
tes ex Finnonia accersere. Porro
autem res afflictæ in Pomerania præ-
sens validumq; subsidium flagitant:
quod non nisi navibus transportari,
non nisi ex hoc portu evehi potest.
Nam & copia hic navium, quanta
ad eam rem sufficit, facilior, quam
in Finnonia, & iter ipsum brevius
minusq; periculosum: Cum hic citius
&

& exploratius, quam in locis istis remotis, sciri possit, ubi classis hostium stationes agat, aut quando relicto mari in portum subducta sit. Quod tempus traiectioni isti aptissimum fore arbitror. Quod nostrum consilium si illustri Domine in aula Czareæ Majestatis tempestivè vulgaveris, & nobis integritatis & fidei circa pacta sempiternæ pacis grave testimonium perhibebis & aula suspicionem, si quam concepit, sine negotio adimes. Quod te pro tuo erga Regiam Majestatem studio ira facturum, planè confido, tibiq; à DEO Opt. Max. fausta ac felicia omnia apprecor.

XXI.

NÆ mea epistola felix fuit, si potest ulla in hoc communi nostro & quasi fatali malo esse felicitas. Quippe ea effecit, ut, quod ego vix optare audebam, Excell. tuæ literis humanissimè scriptis, meas sibi non

in-

ingratas accidisse, significaret, & singularem naturæ suæ bonitatem prolixâ miseratione, ceu viva imagine sui erga nos animi, repræsenteret. Quam commiserationem non sine dolore magno, non sine lacrymis fuisse arbitror: adeo Excell. tuâ incommoda & detrimenta, quæ ad res sive, publicas, sive privatas hinc dimanare ac diffuere possunt, prudenter exponit & facundè miseratur: Ut non tantum miseram ac flebilem speciem ardentis appidicorâ intueri, sed multum etiam in posterum providere, & nescio quod aliud incendium, quam aliam flammam in casu & ruina tam pulchræ, tam florentis, tam opulentæ civitatis prospicere videatur. Sed ista Excell. tuâ Divinæ providentiæ curæ fore sperat, & præsentia multis condimentis humanitatis & solatii lenit ac mitigat. Qui non debeamus Excell. tuæ pro eo in nos & Rempubl. universam animò gratias

gratias

tias omnes & agere & habere? Ego verò, Excellentiss. tuæ maximas ago, majores etiam habiturus, si alteris literis eadem apud Excellentiss. tuam fortuna contigerit. Illas alteras puto, quas ante octiduum mihi cum parva complexione earum rerum, quæ in colloquio circa Nuhusium tuum & Petschuram Magni Zais in contentionem venerunt. Cujus scripti exemplum nunc paulò elaboratius mitterem, nisi dolor manus dexteræ laborem describendi recusaret. Ne tamen planè inanis veniat epistola, addere visum duas centurias edistolarum, quas ut ederem favor improvidus amicorū à me impetravit. Scio, me nihil facere potuisse inconsideratius; sed facilius erit emendatio temeritatis, si Excell. tua significaverit, qua parte vel luxuries & copia orationis stylo depascenda, vel jejunitas & fames bonis verbis explenda sit. Sic enim minus

verec-

verebor, has centurias cum quatuor aliis, quæ adhuc in scriniis meis delitescunt, prælo subjicere. Vale Illustrissime Mæcenas & hunc clientulum, quod benignè polliceris, porrò amplectere.

XXII.

Scio, te præconium honestum non repudiare; Nam mihi quoque eadem de laudibus, quas in me cumulas, sententia est. Sed tibi ad me ornandum facultas semper datur: Mihi ad remunerandum nihil suppetit præter has copiolas, non modò ad fructum, sed etiam ad scenus exiguas. Quas licet docti omnes oculis fugiant, auribus respuant, animo asperrantur; Tutamen eas tantùm abest ut abhorres, ut ultrò expetas etiam & benignè complectaris. Meritò igitur in illo libro, quem de laudibus illustrium Virorum composui, laudator integritatis atque elegantiatuæ extiti. Quod meum officium si more tuo

tuo pari diligentia compensaveris, studium in te meum vicissitudine religionis augebis. Vale.

XXIII.

EXaminanti mihi damna & impendia Grunensium Reipublicæ, indicatum est, Oratores à senatu penè singulis annis in aulam cum muneribus mitti. Cui rei non exiguam pecuniam publicè impendi, omnibus constat: summam, non modò quantà detur, sed etiam in quam rem detur, nemo comperit: Nam ea quoq; res inter arcana Reipubl. numeratur. Memor ergò, Domine, voluntatis tuæ de sublevandis damnis civium, causam mali sic recidi posse arbitrò: primùm si tam corruptores, quam eos, qui se corrumpi patiuntur, ejusmodi lege coërceas: Donum in aula ne capiunto nève danto, nève petendo, nève dicendo jure. Qui secus fecerint, damno, vinculis, exilio

lio multantor. Deinde si legationes publicas in posterum planè prohibeas, & de controversiis civium id constituas, ut ipsi jus suum in aula prosequantur. Sic enim simul sumptus publicus levabitur & nihilominus suum cuiq; tribuetur. Sed si hoc quoq; Domine jubeas, ut præfecti ærario quotannis rationes de rebus singulis populo reddant, avaritiæ paucorum omnem licentiam rapiendi præcidas. Ita in posterum consuli civitati, incommoda minui, & prospici utilitati posse existimo. Te Domine rogo, ut aut consilium ab optimo animo profectum rescripto Principali approbes, aut mihi errorem meum benignè ignoscas. Vale.

XXIV.

DUos diversos animi motus apud me literæ tuæ excitarunt, tristitiam & gaudium. Nec satis constat, magis læter, an doleam. Nam opti-

mi matris tui excessum è vita & ingressum tuum in defuncti locum simul nunciarunt. Quò non possim non dolere, postquam ille nobis ereptus est, quem ego & tu certatim amabamus, quem omnibushorìs, cum unà effemus, oculis, auribus, complexu tenebamus? Quò non gaudeam, postquam te audio in omnes dignitates defuncti per gratiam Principis suffectum, hoc est, mihi pro fratre redditum esse: qui utiq; me tantum diligis, quantum fratrem solebas, me amplecteris, me amas & apertè magnificas. Igitur quòd unice dilectus frater tam subito à nobis, à nostris oculis & quodammodò à complexu nostro decessit, sic profectò doleo, ut propemodum à me ipso decedat: Quòd ad majorem dignitatem & gradum accessisti, sic gaudeo, ut ipse mihi ad novam felicitatem accessisse videar. Cedant ergò tristitia lætis, & affectui dominetur domina omnium &

& Regina ratio. Quippe non totus nobis frater ereptus est, nò totus decessit, nec simul animus cum corpore extinctus est. Erit etiam deinceps quodammodò nobiscum, quia memoria virtutum ejus, quia suavissimus filius, effigies probitatis paternæ, quia tu eris. Ut jam mors ejus non interitus omnia tollens atq; delens, sed quædam quasi migratio commutatioq; vitæ existimanda sit. Igitur non amplius, quid casu indigno fratris tui mihi decesserit, sed quid merita felicitate tua mihi boni accesserit, considero. Tu sicut omne reliquum munus fratris impleturus es, ita me non minus amabis, quam ille me dilexit, aut me nunc etiam magis, quam illum amasti, diliges: Quia amorem, antea æqualiter in me & illum divisum, mihi posthac totum exhibebis. Sic ego quoq; posthac te solum diligam, te amplectar, te amabo, te charum habebò. Vale.

XXV.

SCribis, quosdam me quasi reprehendere & subaccusare, quod in ista paupertate vel potius egestate & mendicitate mea nimis liberalis sim, meisq; amicis, quæ cupiant, largiar & faciam omnia. Agnosco peccatum, quod objiciunt immerenti, & tanquam rectè factum imputo. Quid enim magis honestum & laudabile, quàm multos suis sibi officiis obstrictos tenere? sed per fortunas, quinam sunt illi, qui rectius, quàm ego, vident, quid amicissimis meis debeam vel non debeam? Sed ut videant, quid invident mihi felicissimum errorem, quo ductus, me tales puto habere amicos, quibuscum mea omnia communicare debeam? Etsi enim fieri potest, ut non omnes ita de me mereantur, ut spes mea fortunaq; postulat; ideo tamen non ita tim sum culpandus, quod omnes opti-

optimè de me mereri puto vel meritu-
 tuos esse confido. Liceat mihi, sal-
 va aliorum amicitia, meos ita amare
 & colere, ut illos mereri, ut me de-
 bere judico. Convitium liberalita-
 tis non invitus fero, & utinam meri-
 to? vereor enim ne sint, qui contra
 ista me meo defuisse officio arguant.
 Ut meos vel amicos vel fautores à
 me præter modum amari coliq; cre-
 dam, mihi nemo persvadebit. Vale.

XXVI.

Semper tu procurator & effector
 rerum mearum vel solus vel pri-
 mus. Non ita multis antè diebus
 fecisti atq; effecisti, ut pensio mihi
 anni proximè elapsi solveretur:
 Nunc eam, quæ pro hoc anno debe-
 tur, vel eblanditus es vel extorsisti.
 Itaq; quævis tua actio mihi magnæ
 alicujus voluptatis causa est. Quid,
 quod beneficium verbis plenis amo-
 ris & studii auges atq; amplificas?

Hæc ut par cura & opera mea affe-
quatur & exæquet, nulli mihi curæ
est: cum sciam, me id nequicquam
curaturum. Hoc facilius præstitero,
ut eam tibi fortunam optem, quæ
suarum secunda magnitudinis pro alio-
rum salute tantummodò excubet.
Vale.

XXVII.

GRatulor tibi, quòd in isto officio,
quod fuit præcipuè meum, itate
gesseris, ut Vir optimus Herus tuus
tuum ingenium, mores, animum
actionesq; vitæ totius & valde pro-
barit, & tibi apud me amplissimis
verbis gratias egerit. Unum illud
nescio, gratulæne tibi an timeam,
quòd altiorem istum gradum digni-
tatis, non dicam hospitio, sed dome-
stico usui & consuetudini tanti viri
antetuleris. Nam utrum tandem
Viro bono optabilius putas, sic à ter-
ra abstrahi atq; evehi in altum, ut
ab omnibus invidiæ ventis circumfla-
ri

ri possit: an congressus inter, consue-
tudinemq; victus & sermones do-
ctissimos svavissimi hominis ætatem
quietè agere? De me sic existimes
velim, me, si optio detur, ista non vul-
garifelicitati antelaturum. Sed ita
naturà comparatum est, ut non ea-
dem omnibus expetenda atq; opta-
bilia videantur. Quò magis ignosco
sive ambitioni, sive cupiditati majo-
ris gloriæ, quæ te à quietâ ac tuta
statione vitæ ad istam turbulentam
ac periculosam abstraxit: Deum au-
tem precor, ut approbet, quod fa-
ctum est: tibiq; largiatur, ut fortuna
semper æquabili utaris, secundoq;
vitæ, sine ulla offensione, cursu tan-
dem ad veram felicitatem pervenias.
Vale.

XXIIX.

Dii benefici sunt & generi homi-
num amici. Ad tuas laudes spe-
ctat prolata sententia. Nam si te
quoq; propter tua ingentia & sum-

ma in me beneficia, DEum existimem, specie indutum humana, in eo non quidem re tota, sed tempore errem. Quippe rebus meis non nunc primum, sed & antea sæpè tanquam divinum aliquod auxilium Numenq; ostendisti. Quæ res ad memoriam grata, ad prædicationem ampla, pariter animum & os meum sollicitat. Nec in præsentia modò amoris & studii in me tui gratia apud me florebit; Sed etiam post mortem, ut aurguror, in scriptis meis vigebit. Non quidem abundo ingenio; Sed nec ita inops sum à bonis gratisq; verbis, ut non ire possim longius teq; summis laudibus ferre ad cœlum. Verùm animus non est, debitum nunc omne dissolvere. Non perpendit, quàm grata res sit beneficii ingentis & necessariæ recordatio, qui nexu ejus se exolvere properat. Mea sententia rerum creditarum prompta solutio, remuneratio magnorum meritorum.

torum sera ac diuturna esse debet. Vale.

XXIX.

SCio vos adventum meum cum spe magna expectare. Sed vix videor, ad quam diem promiseram, redire posse; quia præter opinionem amplius mihi negotii contrahitur. Nam postquam postulata magnifici & ampliff. ordinis removi, civium etiam negotiis adesse jubeor: quæ quàm mox expediri atq; confici queant, DEus novit, hominem equidem scire arbitror neminem. Causam igitur cunctationis meæ vobis nunc breviter indico, ne aut morbum aut aliud vinculum suspicemini. Cum negotium ex sententia confecero, morem meum secutus, dabo ad vos paginam longiorem. Vale!

XXX.

DIu filii: Nihil enim adhuc, quod ad te scriberem, evenit. De meis autem rebus te securi animi esse ser-

mo commeantium iussit. Tandem cunctationem vicit desiderium sermonis tui : quanquam producere meum aut propagare in totam paginam non valeo. Non culpabis brevitatem, quam inopia argumenti, non voluntas, imperavit. Vale!

XXXI.

Non patitur usus & necessitas proficiscentis, ut filea: nec ratio amicitiae nostrae, ut momentum aliquod familiaris officii omittā. Cape igitur epistolā studii erga me tui testem: Et ut me facias promptiorē ad scribendum, iuvandi clientis & reddendae salutationis operam libenter usurpa. Vale!

XXXII.

Praesentiam meam flagitas. Ego verò, si ita me diligis, animo tuo semper adsum. Domo & oculis me vestris abesse quid refert? Te certè mihi semper praestò esse, simul pernoctare, rusticari & cuncta haec gaudia mecum multimodis usurpare arbi-

bitror. Ita te hoc animo intueor &, quamvis absentem, totum mecum circumfero. Interim tamen non tædet stylo libare voluptatē, quam sermo tuus sufficeret praesenti. Quod si ipse quoq; interdū facies, neq; tu me carebis & ego te fruar. Conspectum mutuū nihil moror. Ruris inter delicias sermone tuo me reficiā, quoties licebit: ut semper liceat, opto. Vale!

XXXIII.

Tandem primam pensionem à procuratore tuo extorsi, cum jam altera solvenda esset. Oravit autem multis & supplicibus verbis, ne cunctatio ista sibi apud animum tuum fraudi sit. Multa quippe causatur: sterilitatem agrorum, inopiam frugum, sylvam excisam atq; vastatam: adeò ut videri possit tibi pactam mercedem praedii citò solvisse, si quis omnes istas difficultates diligenter perpendat. Sed de hoc non sum sollicitus, cum eo in tuos animo sis, ut

nihil iis præstandum præter culpam
 putes. Illud majori studio orare
 convenit, ut, quâ curâ hoc tibi nego-
 tium confectum dedimus, eadem
 desiderii votisq; nostris satisfacias.
 Quid dubitas? idcirco amicitia com-
 parantur, ut commoda mutua mutuis
 provehantur officiis. Vale!

XXXIV.

Indulge facundia, quando Musas
 omnes ita propitias habes, ut tibi
 summam copiam facultatemq; dicen-
 di largiantur. Mihi satis est, quod
 disertissimis epistolis partem istius
 felicitatis ad me derivas, adeo largi-
 ter, ut ipse quoq; interdum copiosus
 ac disertus habear. Quare indulge
 facundia tuae & doctissimis scriptis
 plures atq; adeo universos dita. Ea
 enim conditione Natura vobis bona
 sua largitur. ut quam præstantiam
 virtutis consecuti estis, impartiat
 aliis communicetisq; cum pluribus.
 Vale!

XXXV.

XXXV.

NEquam occasionem tui colendi
 ommitterem, proficiscenti has ad
 te literas dedi. Nec enim me reti-
 nere debuit, quod tu literas mihi
 mittere in maximis occupationibus
 nonnunquam intermittis: Cum sci-
 am, te, ubi vacat, non solum à me
 provocatum, sed sæpissimè etiam tua
 sponte scribere solere. Interim mi-
 hi satis est vel ad fiduciam benevo-
 lentia tuae, vel ad remunerationem
 studii mei, quod nihil remittis de af-
 fectu, quo me diligis: eumq; repe-
 tito ex intervallo stylo amantissimè
 testaris. Quem profecto affectum
 simillimo & maximè gemino com-
 pensare non desinam nec te, dum vi-
 ta manebit, ex animo amare. Vale!

XXXVI.

ME quidem in his malis & pru-
 dens epistola tua & amor erga
 me singularis multum levat: quem
 amorem & antea viso studio tuo &

U 7

nunc

nunc beneficio accepto penitus perspexi planeq; cognovi. Qui non debeam non anxie quaerere occasione reddendæ vicissitudinis? Quæro sanè & aliquando inveniam. Utinam cæteris rebus possim, studio certè & ardore amoris amori tuo respondere conabor. Sed cur cæteris rebus optem? Cum hic non de debitione pecuniæ, sed beneficii, quaestio sit. Scis, quid intersit inter solutionem rerum creditarum & amoris. Quippe qui rem creditam solvit, statim non habet, quod debeat: Ob eam enim ipsam causam solvit, ne amplius debeat. Qui amorem refert, non desinit habere, quod reddidit: quin immò debere quasi incipit, quod de novo reddat. Ego certè & amorem, quem tibi debeo, libenter rependam, & habere non desinam, quod tibi æternum debeam. Vale.

XXXVII.

Maximas tibi gratias ago, majores etiam

etiam habeo, quòd mandata nostra tam diligenter exequeris. Gratissima autem cura tua fuit de illo meo postremo & præcipuo mandato. Quippe id mihi causæ istius sive patrono sive subscriptori peculiare fuit, cum cætera cum clientibus essent communia. Quanquam ob ea quoque me tibi memorem & gratum polliceor. Erit profectò aliquando dies ille, cum, negotio feliciter & ex sententia confectò, utriq; possimus ostendere, quantum diligentia & studio tuo, quantum pietati nos debere profiteamur. Sed hæc aliàs pluribus. Nam nunc mihi eundem est ad arbitrum nostrum, à quo commodum accersor. Mihi quidem mirificè blanditur: Sed dum suavissimè mecum disputat de his controversiis, alibi nos non dissimulanter impugnat. Ita nempe assentando adversatur, & blandiri se simulans, re ipsa litigat. Ait, se nihil magis cupere,

pere, quàm ut injustitia & improbitas paucorum retundatur. De reliquis autem postulatis civium ita sentire, ut sibi non omninò absurda aut intempestiva videantur; sed difficile esse, eos, qui conditione & propè natura diversi sint, voluntate conjungere. Vides, quid de hoc homine sperare aut expectare nos oporteat. Tu Vale & in vetere tua erga nos voluntate persevera.

XXXIIX.

QVòd scribis, herum tuum, argumentis & rationibus nostris adductum, communi amico non amplius gravem aut molestum esse, vehementer gaudeo, & ipsi inprimis gratulor. Nihil enim magnis & altis viris magis expetendum & optabile est exultatione & fama: nihil magis stabile ad diuturnitatem. Parva res erat fateor; Sed quævis etiam parva erratio & vel minima suspicio criminis collectam per tot annos

gra-

gratiam florentissimi hominis evertere puncto temporis potest. Nec facilis reparatio magni nominis. Vulgus quod peccat, pœnitendo corrigit; Principum erratis nulla venia, sicut rectè factis exigua laus, proponitur. Vale!

XXXIX.

STudium scribendarum literarum, à prima adolescentia cultum, deinde paulisper, dum aliis in rebus occupatus sum, intermissum, tanto doctore atq; magistro revocare cogito. Permittes humanitati tuæ, dabis amicitiaë nostræ, tribues precibus meis, ut epistolas tuas Attico stylo scriptas liceat mihi ad imitandum proponere, ad quarum quasi imaginem & exemplar posthac meam totam scriptionem formem ac fingam. Nam spero futurum, ut, qui neque usu satis, ingenio parum possum, sic saltem dignum aliquid hominum oculis atq; auribus efficiam. Ex hac

imi-

imitatione omnia ornamenta eruditionis, monumenta laudis, insignia honoris expecto. Restat, ut voluntati nostræ honestissimæ benignè annuas, & ad rem tam præclaram adipiscendam quàm sæpissimè mihi plurimas tanquam ansas præbeas. Quod facies profectò, nisi fortè pertinere ad veteres triumphos tuos putas, omni cura consilioq; providere, ne quis post te existat, qui de re quavis proposita aptè, distinctè ornateq; dicat aut scribat. Verùm quid hac de re sentias, ex frequentia vel raritate literarum tuarum conjiciam. Vale!

XL.

MOrbo tenebar, cùm postremas tuas acciperem: Hinc est, quod tibi de rebus illis omnibus responsum adhuc nullum dedi. Postquam autem per Dei gratiam tantum profeci ad sanitatem, ut ingredi possim, non magis mihi, quàm amicis convalesse

luisse me existimans, & ipse princeps in conficiendis mandatis tuis & cæteris autor esse ad te juvandum non recuso. Ita amicitie quidem serò, commodis tuis in tempore, mihi quodammodò ante tempus satisfacio. Quippe ea est animi tui æquitas, ut me nolis autè, quàm vires & corpus recuperarim, gravi operosoque negotio implicari. Ego tamen perinde quasi utrumq; receperim, omni amore enitar, ut te statim juvem & negotium istud, quantum in me erit, explicem atque expediam. Vale!

XLI.

Singularis tua bonitas & beneficentia hanc mihi fiduciam vel potius audaciam subministrat, ut, quamvis nullo meo merito fretus, non dubitem tamen beneficium à te petere. Summus amicus tuus Aristoteles mihi de rebus quibusdam obscuris & ambiguis consulendus est, quas res
sive

sine docto interprete intelligere non possum. Quis autem omnium hoc uno doctior, quis acutior, quis in rationibus vel inveniendis vel dijudicandis acrior? Eum igitur velim ex domo tua, ubi vetus ipsi hospitium est, ad breve tempus patiaris ad nos transire. Nam tu in tanta copia doctissimorum hospitem vel contubernaliumporius, hoc uno facile carebis, & nos in hac nostra inopia eo multimodis perfruemur & delectabimur. Vale!

XLII.

TUam in me pietatem! quid enim dicam benevolentiam? Aded non tantum rogatus desideria mea benevole audis & perficis; sed plura etiam sponte tua praestas, memoriamque nostri tanto locorum intervallo disjunctus pie inviolateque servas. Declarasti id videlicet beneficium, quod mihi nuper admodum praeter spem & expectationem omnem exhibuisti.

hibuisti. Quo pacto enim sperare aut expectare potui, ut vel precibus & obsecrationi humili tribueres, quod amor nostri tua voluntate tuaque iudicio largitus es? Debeo tibi hoc nomine, quid dicam? vicissitudinem? at non possum; gratiam? at non postulas. Quid ergo? me ipsum; ut, quemadmodum ante mancipio & nexu tuus fui, ita in posterum usu & fructu totus sim. Det modo DEUS occasionem aliquam & facultatem! faciam profecto, ut pietatem, quam in te erga hunc clientulum magnam & singularem esse videmus, in me erga talem patronum & Maecenatem Maximam esse omnes intelligant. Vale!

XLIII.

AGere cum Principe voluissim, ut, quam possessionem habes in agro Werbensi, ab ipso emptam, eam immunem liberamque haberes: Et me id facturum promiseram. Sed morbus,

bus, actionum nostrarum molestus interpellator, optimè cogitata sevo interdicto cohibuit. Quod ubi primum suffragio cœlestium potestatum rescissum est, rediit illicò cura suscepti negotii. Accipe igitur nunc satisfactionem meam in præteritum: quamvis & effectus futuri conatus mei, si optatis fortuna consenserit, mox sequetur. Vale!

XLIV.

Non dubito, quin adventum meum spe summa expectetis. Nam mensis decimus desiderio vestro & labori meo præter expectationem omnem accessit. Sed te quoq; post tantum temporis intervallum, quo disjuncti fuimus, videre atq; amplecti gestio. Unum igitur utriusque votum est, & una utrisq; relicta consolatio, fore, ut desiderium nostrum, dum absumus, crebris & longis epistolis leniatur: quarum, ut in longiquitate fontium ideo major est fi-

tis,

tis, quia sapor potus diu desiderati dulcior. Vale.

XLV.

Qui nunquam abste abire nisi lætanti & erecto animo soleo, heri tristi & conturbato discessi: cum intelligerem, te in Gothiam oblegari, ut eam provinciam ordines atque constituas. Quid? Nostrumne defensorem ac patronum, nostrum vitam omnium, in quo spes nostræ opesq; omnes sitæ sunt, tam citò à nobis, tam procul ab oculis nostris abiturum? hoc præcipuè tempore, cum collegium in eo est, ut de causa nostra cognoscat, statuât, judicet. Sed correxit fortuna non tolerabile erratum teq; nobis & iudicio pari festinatione restituit. Nam cum Princeps me hodiè tristem videret & causam cognosceret, me bono animo esse iussit, te autem manere & causam nostram inter primos judicare. Sed quid nos in speratus fortunæ fa-

vor

vor, quid Regis benignitas, quid mansio tua iuvat, si dolis maliciosa advocatio iudicium, quod post discessum tuum sperabatur, te remanente porro impedit aut tardat? Perge, quæso te, hunc quoq; prudentia tua relevare casum, & malorum conatibus obviam ire, nequa calumnia, nequa fraus, ne quis dolus fortunæ favorem, benignitatem Regis, tuam deniq; mansionem nobis inutilem reddat. Vale.

XLVI.

Non dissimularem voluptatem & gaudium, quod ex felici reditu tuo unâ cum aliis percepi, tibiq; cum de magnitudine rerum, quas gessisti, tum de celeritate reversionis pluribus verbis gratularer, nisi hanc sibi gratulationem expectatio uberioris lætitiæ vendicaret. Audio enim fore, ut tot tantisq; rebus bene ac feliciter gestis quamprimum in amplissimum ordinem coopteris. Cuius

spe felicitatis in modum plenioris gratulationis accingor. Cupio autem & opto, spem meam literis tuis confirmari, ut, qui dubia felicitate delector, illa penitus comperta planeq; cognita latius gaudeam. Vale!

XLVII.

Aliud aliis optimum videtur:

Ego non tam fortunis augeri, quam amicitia optimi cujusq; locupletari, præstantissimum semper duxi. Hoc à Diis immortalibus expectavi, hoc optavi, hoc precatus sum.

Nec optatis meis fortuna defuit.

Nam multorum mihi benevolentiam

studium & obsequium meum paravit & ad usus meos adjunxit: quorundam mihi voluntatem & gratiam hæc qualescunq; literæ conciliarunt.

Inter quos cum tu quoq;, Vir Clarissime, præter spem & expectationem meam huic favere ingenio volueris, quid causæ est, cur mihi non sit in optatis, tam obviam benignitatem

tem tuam studio omni complecti
Sanè ubi primum ex tuis, ad familia
rem meum Henningum Wittium, li
teris intellexi, quàm benignè ac libe
raliter de me ignoto ac nunquam
vifo senseris ac judicaris, vicissim
omnia de te præclara atq; egregia sen
tire cœpi & amicitiam tuam plurim
facere. Quam meam de te opinio
nem & sententiam Wittius, accurat
tus bonorum æstimator, quite pro
pius & domi tuæ cognovit, suo de tu
singulari eruditione & doctrina sy
visimisque moribus judicio vehemen
ter auxit. Igitur & tua summa erg
me humanitate & locupletissimi te
stis fide invitatus ad amicitiam me
tuam libens confero: cupioq; & op
pto, ut impetratio prompti respon
declaret, hanc quoq; epistolam tibi
non ingratham accidisse. Vale!

XLIIIX.

O Pem & operam meam ad ju
tuum impetrandum exposcis

Sed, ut tibi inutilis & fortassis planè
desidiosus videar, procurator tuus
facit: qui rarò mecum de desideriiis
tuis communicat. Quod breviter
ac verbo innuisse sufficiat, ne accu
vifo senseris ac judicaris, vicissim
orator satisfactio negligentiam ho
minis arguat. Sed nec tibi multa de
facultate mea promitto: quid enim
in hac fortuna possim? nec postulo,
ut dignitatem meam tibi vicissim
commendatam habeas: quia hanc
suo de tu mihi vicem æquitas animi tui & justi
pollicetur. Vale.

XLIX.

SI oculi tui adeo, ut scribis, opuscula
mea desiderant, en tibi libellum
de eruditione scholastica, quem jussu
Principis mei in quatuor classes di
gesti: De quo hoc primum admo
hendus es, inchoatum esse, nulla ex
parte perfectum. Deinde me absente
editum: ut correctoris negligentia
mihi fraudi esse non possit. Etsi enim
valde est vituperanda rei maximè

Sed

X 2

necef.

necessariæ tanta incuria; Maluit enim tibi statim facilitate obsequii, quam serò cura secunda emendationis placere. Vale.

L.

Celeritas reditutionis me vetat ad ea, quæ proximè scripsisti, respondere. Cur enim tabellarium cum inani responso mittam, cum ea, quæ literis committi solent, servare in proximum congressum colloquimq; debeam. Aliàs non gravabor, more meo diligenter ad omnia, quæ scire cupis, rescribere. Hæc est summa præsentis epistolæ, quam, si celeriter perfertur, mox sequar: Si tardius, antevertam. Vale!

LI.

Maximum te mihi beneficium tribuere puto, quoties sævitate sermonum tuorum me impertis, amicitia hæud mediocri condimento. Quod quoniam nunc quoque plena manu, quod dicitur, præstitisti, à Divis

immor-

immortalibus opto, ut pro eo in me animo omnium rerum affluentibus copiis diteris. Officiis autem literarum nunquam non parem operam & studium impendam, ut eo invitamento ad perseverantiam provoceris, cum videas, te beneficia ejusmodi apud gratum & memorem collocare. Vale!

LII.

Non ero insolens ostentator mei in te studii. Nam quæ ista in commemorandis officiis jaclatio foret? Quin etiam in gratia & beneficio numero, quòd animos multorum mihi concilias & ad usus meos adjungis: qui quæstum eum maximum ducis, quam plurimos mihi devinctos habere amicitia vinculo certissimo, consensu atq; societate consiliorum & voluntatum. Quantum mihi de amicitia Christiani tui promittam, vides. Et sanè confido, hominem doctrina & optimarum artium studiis

X 3

erudi-

eruditum magni amoris conspiratione nobiscum aliquando consensurum, cum nos videat iisdem artibus à pueris fuisse deditos. Sed Rudolphum quoq; spero nostri in omnibus studiosum fore, cum jam pridem sciat, quid, molestis operosisq; negotiis ejus cura nostra contulerit. Vale!

LIII.

Hominibus spectatis & diu cognitatis honesta commendatio non est deneganda, ut eò citius ad notitiam bonorum tuiq; similibum perveniant. Quare non vereor, ne debita meritaq; laudatio Theodosii mei tibi non grata potius, quam arrogans videatur. Quippe optimus adolescens hic jam pridem eruditione & diligentia sua gratiam & benevolentiam multorum meruit, qui tamen in eo gradu honoris & dignitatis constituti sunt, ut iis placere non mediocrius laus putanda sit, Sed in sua civitate &

& patria nullam adhuc campum habuit, in quo singularis ejus & præstantissima virtus excurrere cognoscisq; potuerit. Quam fortunæ asperitatem præsidio tuo mitigari posse sperat. A te igitur illud peto & rogo, ut desideris ejus benignè annuas, sinasq; me apud illum hanc gratiam inire, ut favorem, quem meritis ejus tribues, sentiat meà commendatione crevisse. Vale!

LIV.

Non est dubium, quin, si tabellarii properare voluerint, priores epistolæ antè in manus tuas venturæ sint. Huic enim incertus bajulus naviculatòr contigit: quod genus hominum quam vanum in suscipiendis mandatis, quam negligens in efficiendo sit, non ignoras. Sed & ventorum incerti cursus & casus alii tardare & longinquam reddere navigationem possunt. Ego tamen ideò abstinere à scribendis literis non debui:

bui : quod satius esse duxi , amicitiae tuae interdum tardo etiam & copioso, quam celeri tantum & parco officio litare. Tu studium meum, quoties fida occasio erit, non invitus amulaberis, ut & amori nostro mutuum & diligentiae vicissitudinem praestes. Vale.

LV.

Accessit debitioni nostrae longior dies ex culpa non nostra, sed quaestorum : qui solutionem salarii, quod initio anni debebatur, usque ad hunc diem distulerunt. Quapropter spero, te vel ob eam causam cunctationem & tarditatem nostram non iniquo animo laturum. Nam opera a nobis dabitur, ut longior haec expectatio pecuniae in aliis rebus prompta & parata officiorum celeritate pensetur. Vale!

LVI.

Brevem esse oportet, qui de eadem re saepius agit : Nam rebus cogni-

cognitis immorari, absurdum est, tum vero nulli usui. De agro Uxkulensi rem ante cognitam & perspectam habes. Nunc ut mihi cum in summa gratia tua a Rege impetres, paucis tantum orari vel moneri debes. Neque enim fas esse arbitror, quicquam me rogantem abs te non auferre. Quod si Rex etiam de jure prioris possessoris doceri debeat, id monitu tuo proximè fiet. Nunc brevitati consulendum, cum & cognitioni tuae & necessitati meae hac in re antea satisfactum sit. Vale!

LVII.

Cum sciam, quam sis sermonis mei cupidus, scribendi munus, quoties fida occasio offertur, libens arripio. Neque semper expectandum esse arbitror, dum ad singulas meas respondeas : Ne sperata vicissitudo me in scribendo tardiore efficiat. Verum quemadmodum ipse caveo, ne procraftinata scriptio mihi a te vi-

rio vertatur; ita tu quoq; operam dabis, ne longius silentium tuum indifferentem circa nos animum arguat. Quod te curaturum certò confido, vel quòd tanti meum erga te amorem ac studium facis, ut voluntati meæ vicissim libenter obsequaris, vel quòd ipse ita me diligis, ut aliter facere non possis. Vale-

LIIIX.

ENtibi secundam querimoniam de injuriis, quibus vicinum præter jus fasq; affecisti: Et tu primæ adhuc purgationem debes. Poterat judicium statim post primam mōitionem de re tota judicare, cognoscere, statuere; sed ne semel tantum a desse jussus citatusq; videreris, etsi reclamante adversario, tibi longius spacium ad purgandum indulgit. Dices, te agricultura, arborumq; putatione ac vitium impeditum, atq; alia multa causabere: Et judicium pro sua in te indulgentia eam veniam dare non

grava-

gravabitur. Sed eadem æquitate à te nunc postulat, ut his impedimentis superatis ad diem constitutum adesse in judicio memineris & factum vel culpam à te removeas, aut quavis etiam alia ratione adversario satisfacias. Hoc te scire volui. Vale.

LIX.

Filiorum tuorum præceptorem, juvenem omni doctrina eruditum, potius in meam gratiam, quàm in adjumentum suum, methodi nostræ rationes & præcepta poposcisse existimo. Nam cum eruditioni atq; doctrinæ ejus, ex institutò atq; disciplina nostra, nihil possit accedere, id tantum videtur egisse, ut laudem nostram, siquam industria & labore consecuti sumus, extenuatione doctrinæ suæ augetet. Mitto igitur omnes rationes institutionis meæ: quas si tibi non ingratas accidisse svera facundia testaberis, in exemplum ele-

X 6

gau-

gantioris scripturæ ingenii mei medicritatem provocabis. Vale!

LX.

Quoties literastuas sumo, tua mihi in familiari colloquio & congressu suavitas occurrit. Atque ideo scriptis tuis dupliciter delector: semel, quod fructum jucundissimæ consuetudinis tuæ renovant: iterum, quod damna absentia tuæ assiduitate sermonis compensant. Tibi autem gratiam habeo de diligentia tua, & quod libentius in ea perseveres, ipse quoque in posterum hujus officii non indiligens ero: qui longo usu didicerim, quanta accessio familiaribus officiis fieri soleat ex vicissitudine & recursum sermonis. Vale.

LXI.

Multi egressi nunquam domum revertere. Quod magis tibi felicem reditum gratulor: simulque gratias ago, quod me societate prosperorum tuorum impertisti, quem molesti

lesti & periculosi itineris participem habere vitasti. Porro autem enitar, ut repetito ex intervallo officio vicissitudinem præstem. Ea namque res meam circa diligentiam parem ac mutuam testabitur & incommodo valetudinis, qua nondum planè emersisti, nova fomenta præstabit. Vale!

LXII.

Quoniam incertus eram, an priores literæ tibi essent redditæ: cum nihil adhuc ad postulata mea responderis. Tamen ambiguum non habui, alia pusilla epistola memoriam meriti tui officiique mei testari. Quam epistolam si venti secundi citò, ut spero, provexerint, fac, quæso, ex tuis quamprimum cognoscam, quid iis acciderit, quas alias super alias tabellariis commisi. Cognitio præteritorum me futurorum ambiguum esse non sinet. Vale!

ITa ratio comparata est vitæ naturæ; nostræ, ut, qui invidia conflctantur, sollicito animo & anxio sint. Verentur enim, ne res labore & sudore partas injuria invidentium amittant: Cum nulla fortuna tam stabilis, nulla possessio tam firma sit, quæ non odiis & dolis favri obrectatoris labefactari possit atq; convelli. Ad me spectat præmissa argumentatio. Nam mihi quoq; mea, non tantum mediocris, sed etiam tenuis fortuna nuper nescio quid invidiolæ contraxit. Igitur non immeritò mihi metui & te pluribus verbis oravi, ut provideres, nequa calumnia, nequa fraus, ne quis dolus commodis & rationibus meis apud Principem officeret. Eadem & illa nunc repeto. Tua judicatio & cognitio erit, timidusne & diffidens, an vigilans & multum in posterum providens, putandus sim. Vale! & hunc clientulum, quod facis, tuere,

INcommodis & damnis amicorum mederi, boni viri officium est: Modò bonitas & æquitas causæ id patiatur. Quorsum spectet hæc præfatio, paucis exponam. Statio vel propter integritatem & innocentiam ejus, vel propter rationes meas domesticas, ita faveo, sicut alteri nemini. Huic prædium, quod beneficio Principis in Livonia possidet, adimi ægrè patior. Duobus enim diplomatibus amolitur injuriam, donatione & confirmatione, quam benignissimus Princeps juri meritoq; ejus tribuit. Ea diplomata, publicis consignata monumentis, necdum ab injusta petitione deducunt nescio quæ adversarium. Nunc, quia in fidem ac tutelam tuam misellus confugit, quaeso, ut juri & æquitati, nam nihil aliud literæ Domini Gubernatoris petunt, faveas. Quanquam vel in meam gratiam supplicii favor tuus præstan-

standus, vel in tuam gloriâ tam bona causa tuenda est. Vale!

LXV.

Tibi summam copiam facultatemque dicendi natura largita est: Mihi quò minor facultas ad eam rem, eò major voluntas suppetit. Ridiculus sim, si infantia meae testes citare ipse velim; sed non deest huius rei evidens certumque documentum, quòd, cum causas petitionis meae tibi unis literis explicare potuerim, de eadem re tecum saepius agam. Nisi tamen huic epistolae venia paratior erit, quòd amico tuo ad te revertenti commissa est. Ego certè eam tibi vel ideò non ingrattam fore credidi, quòd ab illo reddenda esset, qui non solum facundia sua tegere ac velare balbutiem meam, sed te quoque de mea omni fortuna fideliter edocere posset. Vale!

LXVI.

Aditum ad honores facilem ostendis,

dis, si paulum decedere à rigida illa philosophia, hoc est, si vultum & sermonem ad sermonem & vultum aliorum fingere & accommodare possim. Est verò ulla restanti, aut ullum commodum tam expetendū, ut viri boni splendorem & famam amittas? Mihi certè tanti nullus honos, dignitas nulla est, ut à statu naturae & dignitate honesti digitem velim discedere. Ad honores laudemque contendere non dedecet: sed fundamentum perpetuae commendationis virtus esse debet: sine qua nihil potest esse laudabile. At saltem liberalis ac munificus esto: Nam raro datur, ut liberalitatem quoque & largitionem ab ambitu honorum possis jeungere. Fuerit hoc illorum, qui & omnes umbras falsae gloriae consecretantur & sibi omni ratione diffidunt. Nos nec honorem meritis nostris assequi posse diffidimus, nec eum tantoperè expetendum arbitramur.

mur. Nam si honore indigni præcipuo sumus, eò facile carebimus : Si digni, cur nos jubes præmia virtutis pretio emere? Ego, quod ad me attinet, nunquam committam, ut aut emptione honoris magnus, aut ejusdem venditione dives evasisse videar. Vale.

LXVII.

DE panno vulgari, ad usum quotidianum necessario, gratias habeo, alterum tenuissimo filo textum remitto : memor instituti veterum, ne serica vestis virum fædaret. Et quorsum, quæso, tam pretiosa vestis, tam lauta supellex? Hominem antè, quàm peccavit, nuditatis suæ non puduit : ut scias, vestium non solum hanc causam esse, ut nos tegant aut ornent ; sed hac potiorem, ut peccati nos nostri, pudorisque inde profecti, commonefaciant. Corporis ornatus animus est : ejus decus præcipuum honestas. Hac ornatus malè vestitus esse

esse non possum. Decorum est, non quod maximè usitatum est, sed quòd conditioni fortunæq; nostræ maximè conveniens. Igitur non, quid tu, quid alii faciant, nec quid mihi facere liceat, sed quid hanc fortunam deceat, considero. Multa licita sunt multisq; usurpata, quæ non itatim omnibus decora & utilia putanda sunt. Vale!

LXVIII.

Duturnum silentium duplicato officio literarum compensasti : Ut desiderium meum gaudio largiore expleres. Parcus sum, ni gemina item scriptione te ad assiduitatem inchoati muneris provocem. Binas enim epistolas nunc simul accipies, unam eandemq; rem significantes. Tuæ partes erunt, primùm hanc, quã scribo, deinde alteram illam, quam de eodem oleo & opera mox scripturus sum, literis munerari, quales existis locis redire possunt, rerum & verbo-

verborum optimorum copia affluen-
tibus. Nos angustiis rerum & ver-
borum coercemur, nisi fortè volu-
mus frigidas tibi &, ut ita dicam, ima-
ginarias literas mittere. Silere tamen
non possum, quotiescunq; occasiun-
culam ad scribendum habeo: Quam
nunc peroptatò ingessit eruditus &
omnibus bonis artibus politus juve-
nis Geilius. Cui ad commendatio-
nem hoc sufficere poterat, quòd olim
domo & mensa tua usus est. Sed quo-
niam nostro quoq; suffragio apud te
juvari posse confidit, eum tibi ita
commendo, ut & tuo iudicio illum
ames & mea intercessione charum
habeas. Quippe non aliud præmium
iteratæ peregrinationis requirit, quàm
hæc lumina seculi (de te tuiq; simili-
bus loquor) denuò coram intueri, &
subinde orientes, juxta vos, novas
stellas cognoscere. Vale sidus meum
& radiis eloquentiæ tuæ tenebras
meas sæpè illumina.

LXIX.

LXIX.

Frequens nomen Thomasi in ore
& sermone meo, etsi in literis ad-
huc nullum fuit. Hoc quippè pudor
& timiditas quædam ingenua vetuit:
illud tua singularis & præstantissima
virtus, perfectaq; & ad summa per-
ducta eruditio iussit. Quæ duo non
me solum ad amorem & admiratio-
nem tui impellunt, sed omnes eos, qui
philosophiam, eloquentiam, cæteras-
que virtutes, id est, artes tuas amant,
Et nunc quidem tantum apud me po-
tuerunt, ut pudorem, quem mea mi-
hi natura tribuit, vincerem & hac
epistola amicitiaæ tuæ veluti januam
pulsarem: qua receptus literis alteris
penitus in sinum & familiaritatem
tuam penetrarem. Quæ spes me non
fallet, si rectè novi humanitatis veræ
genium, qui in literis tuis ad Wittium
nostrum spirat. In quibus literis mi-
hi ignotissimo amplam salutem &
benevolam adscripsisti. Sanè hono-

rifi.

rifica ista de me mentio, plena amicissimi desiderii, dubitantem & metu dejectum, è tenebrosa timoris latebra, ad solem benevolentiae tuae extrahere atq; erigere in primis debuit. Facies, Vir Clarissime, quod Philosophia tua syadet, ut gravitatem, cum summa humanitate conjunctam, perpetua constantia robores, hoc est, ut in affectu, quo me nullo meo merito profecutus es, perseveres atque permanes, Quòd si prætereà animum istum tuis quoq; ad me literis testari volueris, pariter me ad perseverantiam debiti cultus eo invitamento obligabis. Ero quippe deinceps ad exercendum stylum longè etiam alacrior, si fructu mutui sermonis calamum meum animaveris. Vale!

LXX.

Olim stylum loquacissimum perpetuo coërcere silentio meditator. Sed longo etiam tempore, nihil
quod

quod scriberem, emerfit. Nec haberem scribendi nunc quidem ullum argumentum, nisi in mentem venisset salutis, quam anno superiori duo doctissimi viri mihi in literis tuis adscriperunt. His igitur, ne otio torpescā, debitum rependere sermonem, animus est: ut, quoniam primum honorem, quem mihi immerenti habuerunt, literæ ad alios scriptæ abstulerunt, secundum mea ad ipsos scriptio eliciat. Ne autem in titulis honorum titubem aut errem, te rogo, ut de officio & dignitate utriusq; me edoceas. Quòd si prætereà me illis per occasionem insinuare & cultum meum prænunciare volueris, minore fortassis periculo scribam: cum fieri possit, ut tuo judicio præpediti plurima mea in scribendo vitia non videant. Quod ut velis, te vehementer, mi charissime Witten, oro. Vale!

LXXI.

LXXI.

SCripta quidem mea iudicium tuum censorium notationemq; extimescunt: sed non par est, tibi à me postulanti quicquam recusari. Duos igitur fasciculos epistolarum misi, quas ut ederem, favor improvidus amicorum à me expressit. Eorum unum, ut vides, ad juvenem summi ingenii scripsimus, qui vel discipulus vel commilito tantum nobis de arte non concessit: Alteri argumentum dederunt officia, quæ amicis & familiaribus meis debui. Et fautorum quidem iudicia & testimonia multa habeo. Sed vereor, ut, quod vulgi opinione probatum sit, intelligentium quoq; iudicio probatissimum habeatur. Jam enim susurrari audio, non assiduam & diligentem, sed subitam & incultam hanc scriptionem nonnullis videri: Stylum porro aridum & exilem angustia conclusæ orationis non facile se ipsum tutari.

Neq;

Neq; ego in hac re ullam in partem disputo. Ipse, quid hujus verum vel falsum sit, lector benevolus cognoscet. Opto autem, ut in utramq; partem iudex æquus sis, & eam sententiam liberè amplectaris, quæ animo tuo maximè probabitur. Vale!

LXXII,

Mihi quidem ingenii atq; industria fiducia nulla est: Sed perpetui silentii tui improvidus imitator esse non debeo. Quare cultum amicitiae libenter exerceo & religioni officii rebus & literis satisfacio. Cum igitur ego tibi diligentiam meam cum sæpè alias, tum maximè proximis & superioribus mensibus probaverim, expecto, ut debitum literarum, quod amicitiae spontè exolvere oportebat, saltem beneficio mearum provocatus, retribuas. Vale!

LXXIII.

Magnam opinionem parva nunquam aura rumoris commu-

Y

tat;

tat. Vides, quò eam. Adventare ac propè jam adesse debebas : Novimus quippe constantiam & fidem promissi tui. Sed tamen rumoris neficio quid increbuit, te nova à Principe mandata habere, daturumq; operam, ut ea mandata ante adventum tuum digeras atq; conficias. Quare cum extenuari spem nostram videam, confirmari novis scriptis cupio : ut sciam, omnem rem in adventum tuum differri posse, si affuturus es : per literas tecum transigi, si attineris. Vale!

LXXIV.

SCio te cœtu amicorum sermonibusque familiaribus delectari. Nuper tamen, cum moderato & honesto convivio, quod die meo natali institueram, multi ordinis & loci tui interessent, tu solus me honore præsentia tuæ fraudasti. Posses par pari referre, & conviviis, ad quæ sæpius vocas, sine periculo abstine-

re: domi enim est, quod aures & ventrem expleat. Sed amicorum negligentiam nunquam pari contemtu ulciscor. Utinam autem ad istum contemptum nihil acerbitatis addidisses! sic sanè nihil de neglectione quereret. Nunc duo contra amicitiam commisitisti, ut & honor officii tui mihi deesset, & literæ tuæ verbis asperis & duris me perstringerent. Hic fortasse alius pluribus exoptularet: DEum atq; hominum fidem imploreret : Sed ego te valere jubeo.

LXXV.

Minus tibi grave aut molestum silentium meum futurum erat: sed ut scriberem, h. e. veteres molestias & sollicitudines, quibus olim te miserum habui, nova cura renovarem, lator præsentium à me impetravit. Tribunus plebis est, quem majores præsidem libertatis custodemq; esse voluerunt. An nostris etiam moribus, qui magistratum istum gerit, se-

opponere iniustitiæ, populiq; caussam agere impunè queat, meum non est definire. Hoc tamen tibi omni asseratione affirmo, quod mihi credas velim, bonum virum id unicè agere, in eo totum esse, ut commodis utilitatiq; civium suorum serviat. Sed hoc ipse actionibus suis, cum in aulam venerit, satis superq; declarabit. Ego id tantum oro, ut te ipsi facilem præbeas, & epistolas, quas mitto, accuratissima lima iudicii tui perpolias atq; perficias. Vale.

LXXVI.

Lætarum rerum orator esse maluissimè: sed ratio fortunæ tuæ necessitatem mihi tristici sermonis imposuit. Decimus, ni fallor, hic tibi de charissimis liberis luctus est: Post tot funera defunctorum pignorum quis te putet novo dolori sufficere? Fers tamen hunc quoq; luctum, quæ funus ultimò geniti filioli cum excessu optimæ matris conjunxit. At ego, quan-

quantò imbecillio rem me fortuna Patroni perculit, tantò magis doleo, tantoq; facilius dolori succumbo. Quippe nunc illud quoq; vulnus, quod mors charissimi quondam discipuli infixit, recrudescit. Itaque denuò tanta in mæstitia sum, quantam hic animus capere & quantam hæc manus tristi & flebili scripto agrè testari potest. Quod scriptum si non omnem statim acerbitem fortunæ tuæ levabit; dolorem saltem aliquo fomento solatii mitiorem reddet. Dii faxint, ne aliter sit, quam opto! Vale.

In funus

Illustrissimi Comitæ ac Domini,
DN. LUDOVICI PONTI DE
LA GARDIE.

Extinctum Nymphæ proferato funere
Daphnim

Plangite flebilibus cum genitrice modis:
Quæ complexa sui corpus miserabile nati,
Heu nimis ante suum fletq; gemitq; diem.

Creverat infelix jam lustro fortior uno,
 Pluribus ingenii iudiciq; notis.
 Quid jam literulas puerili noscere sensu,
 Jam chartis illas illinere ipse suis,
 Et jam blandiloqua venerari Numina lingua
 Ceperat. Invidit de tribus una soror:
 Et festinato præcidit stamina penso,
 Præseniq; stirit corpus inane patri.
 Qui postquam vulnum vidit morientis et ora,
 Ora nive et rubeis antè superba rosis:
 Ingemuit tristi turbatus pectora fato.
 Quid mirum? Ipse suum flevit Apollo
 Linon.
 Numina cum natos fingantur flere parentos,
 Quis vetet orbatum pignore flere pa-
 trem?
 Vos, qui supremum puero præstatis hono-
 rem,
 Et datis in sacro digna sepulchra loco:
 Hæc superpositum conscribite carmine
 marmor,
 Quod gens, quam gignent tempora fera,
 legat.

HIC. PONTUS. TRISTI. RE-
 QUIESCIT. GARDIUS.
 UMBRA:
 PARS. MELIOR. SUPERÆ. GAU-
 DIA. LUCIS. HABET.
 FORTUNATE. PUER. PUERO-
 QUE. BEATIOR. OMNI.
 QVICQVID. HABET. COELI.
 LARGIOR. ORBIS. HA-
 BES.

LXXVII.

SI ab alio impetrandum esset, quod
 abs te petiturus sum, accurato &
 exquisito dicendi genere uterer. Ami-
 citia nostra ambitum istum verbo-
 rum non requirit. Breviter igitur
 summamq; more meo desideria
 mea exponam: quæ si tibi æqua &
 honesta videbuntur, ego aliam par-
 vam postulationem afferam, ut festi-
 nato responso gratiam beneficii con-
 duplices, Filiam vestram, viro jam
 pridem aptam & nubilem, Titius
 noster sibi matrimonio jungi vehe-
 men-

menter cupit: nec splendore generis inferior nec opibus. Nam prerogativam optimarum artium & spes secundas ex iisdem inter ornamenta matrimonii non numero. Sibi quisq; debet, non fortunæ aut majoribus, quæ bona sua cura & labore paravit. Ego autem hoc connubium & affinitatem in primis cupio, ut promptum & optatum responsum in gratiæ & beneficii loco numeraturus sim. Quare cum res factu facilis, tibi honorifica, filiæ tuæ salutaris & fructuosa, poscatur, tuæ prudentiæ erit, providere, ne honestissimus juvenis, qui omnes honores sine repulsa obtinebit, à vobis spretus aut repudiatus esse videatur. Neglectio oblata utilitatis superbiam, repudiatio honesti improbitatem arguit. Vale!

LXXIIX.

Adversas res amicorum graviter ferre soleo. Quomodo tristem & acerbum de te nuncium laturum cen-

centes si novæ agrimonix, quam morbus dexteri pedis ingessit, locus esset? Interim tamen mihi ex periculo tuo plurimæ curæ metusq; nascuntur. Quare, etsi anxius dolore corporis & vulnere animi, dictare hanc ad te epistolam volui, magis ut sollicitudini meæ, quam debito amicitix satisfacerem. Primò autem, ut meam de te curam metumq; missi subinde literis subleves, oro: Deinde te hortor & svadeo, ut agas moderatè, & huic tempori potius servias, quam dolori tuo. Nam non solum ad curationem vulneris, verum etiam ad testimonium prudentiæ tuæ pertinet, perturbatum animi motum cohibere. Vale!

LXXIX.

AMici cognatiq; tui, Theodosius & Burchardus, & ipsi suarum prerogativa virtutum tibi acceptissimis & literis meis, quas tibi dudum exhibuerunt, commendatissimi extiterunt.

terunt. Atq; ideo, ut apud te instituta perficiant, secundæ commendationis auxilium, tibi jam dupliciter probati, non requirunt. Mei igitur studii est, vel potius propositi assiduæ scriptio- nis, quòd priora repeto, cum præ- senti epistolæ aliud argumentum nul- lum sit. Nec enim fas est, quamvis ipse, literarum parcus, dudum nihil retribuas, quod legamus, me quoque ejusmodi officiis abstinere: ne videa- tur ignaviæ quædam æmulatio esse, semper æqua lance censeri. Quid, quòd spes est, fore, ut munus litera- rum, quod sponte tribuere amicitiaæ nostræ debuisti, saltem provocatus exsolvas? Vale!

LXXX.

TUæ verò literæ tantò mihi jucun- diores fuerunt, quantò longio- res erant: ne mihi in posterum pro- lixitate tuam excules. Quod enim certamen vel amoris erga me tui, vel studii erga te mei paris, dulcius esse potest,

potest, quàm frequentiam familiari- um paginarū prolixitate pari utrin- que rependi! Et qui fieri in amicitia posset, ut unus quasi animus fieret ex pluribus, si ne in officiis quidem hu- manitatis consensus consiliorum & voluntatū appareret? Quare te decet, in colenda amicitia indies diligentio- rem esse, cum in reddenda vicissitu- dine me non ignavum experiaris. Vale!

LXXXI.

QUòd me sacris, quibus gemina soboles virilis sexus, uno partu edita, initiari debebat, seu testem seu precatorem unà cum aliis interesse voluisti, agnosco humanitatem tuam: Speroq; futurum, ut quavis studiosè prenata occasione erga te quàm gratissimus cognoscar: Quandoqui- dem, meo in te amore fretus, me cre- didisti tua solidè gavisurum gaudia. Quid, quòd rei etiam magnitudo postulabat, ut cognitionem duplica-

tæ felicitatis societatemq; pluribus faceres? prosperitas enim, quæ cum paucis communicatur, angusta atq; concisa putanda est. Et, ut illa non sint, Dei certè erga te benignitas consensu lætitiæq; multorum celebranda erat: Ut eidem larga invitatione ad commune gaudium, quodammodò apud multos gratias ageres. Faxit DEUS, ut tuo isto tam excellenti bono diu fruare, & eos, qui à te orti sunt, feliciter educes, instituas, ornes: Utq; illos diu habeas oblectamentum vitæ, levamentum curarum, solatium senectutis. Ego lætitiæ voluptate, quæ beneficio tuo fruor, pascar, dum licet. DEUS faxit, ut sæpius liceat. Vale!

LXXXII.

ANnus est, cum mihi propinqui & necessarii tui filium commendaſti, ut in hac schola primùm ad Deum cultum, deinde ad bonarum artium scientiam, tum ad modestiam & hu-

mani-

manitatem erudiretur. Ego, ut consuetudinem meam in iuvandis bonis ingenii servarem, cum porrò optimis artium liberalium magistris & vivendi præceptoribus tradidi: qui mihi post usum annum uno ore omnes pueri probitatem & mores laudant, sed negant idoneum esse ad res arduas & difficiles perdiscendas, putantq;, è re pueri esse, ut à literis ad aliud studium, ad quod sua sponte inclinaret atq; propendat, traducatur. Quod illorum consilium cum mihi videatur ab optima fide atq; ab optimo animo proficisci, facere non possum, quin tibi svadeam, ut puerum revocetis, priusquam impetus & ardor animi, ad alia fortassis majora non ineptus, in his minoribus frangatur aut retardetur. Ne autem pater offendatur ejus tarditate ingenii, tu ipsi demonstrare debes, quàm nihil deceat invita, ut ajunt, Minerva: simul & illud ostendere, non omnes

Y 7

ido-

idoneos esse ad discendum literas, qui tamen persæpè studio multarum magnarumq; virtutum pares inveniuntur. His auditis & persuasis malet, credo, pater puerum servare, quam perdere, eumq; ad id vitæ genus, ad quod fortuna & natura illum genuit, id est, ad militiam, admovebit, ad quam omni inclinatione voluntatis propendere videtur. Omnes ad aliquid agendum propensi sumus; Verum ut alius ad aliam laudem proclivior, sic alius ad aliud negotium aptior & commodior est. Vale!

LXXXIII.

ET si in hoc communi periculo & aspero Reipubl. tempore nihil nos libri, nihil literæ, nihil doctrina delectat; tamen cum heri rem nullam haberem, quam publicè agerem, effemq; solus domi & sine arbitris, epigramma, quod vides, de psittaco Illustrissimi Domini Gubernatoris, more

more meo, ex tempore fudi. Atq; illud quidem mox amicorum secunda suffragia magno consensu approbarunt. Rectè an secus, nihil ad nos: aut si ad nos, nihil ad hanc scriptiorem. Quippe nunc istud tantum ago, ut severitatem iudicii tui præiudicio aliorum antevertam. Nec meritum styli mei, quod nullum esse puto, sed existimationem amicissimorum meorum prætendo: quam immerita dissensione violare tibi utiq; non minus grave duces, quam nos vel merita contumelia afficere. Vale.

De psittaco Illustrissimi Domini Gubernatoris tempore expeditionis Prussicæ ad militem.

Corpore non ingens, non incluta viribus ales,

Grata sed eloqvii sedulitate sui:
Sæpius ingenti, VICTORIA! gutture clamat,

Et simul ad pugnas arma virosq; vocat.

*O si non dubio mediteris pectore miles,
 Quid tibi fortuna præscia dicat avis?
 Nostri si nequeunt te exempla movere Mo-
 narchæ.*

*Vt palmam cæso victor ab hoste feras;
 Huc saltē faciles adverte, vel eminus aures:
 Te, pudet, officii bruta monebit avis.*

LXXXIV.

Manus librarii non occupationis
 alicujus, sed morbi tibi signum
 fit: qui sanè morbus, non quidem
 totius corporis, sed manus dexteræ,
 me, ut longiorem istam epistolam ad
 te dictarem, coëgit. Ne mihi igitur
 fraudi aut dedecori sit, si homo
 omnes alias potiùs, quàm hanc lin-
 guam doctus, alicubi per ignoran-
 tiam lapsus est. Quòd si ipse quoq;
 me dicendo non satis explicavi, aut in
 delectu verborum parùm sagax pro-
 vidusq; fui, acerbo animi sensui &
 cruciamento morbi adscribes: quod
 interdum levius non est, quàm tor-
 men-

mentum carnificis. Sed hæc, qualia-
 cunq; sunt, te mihi ignoscere volo,
 vale.

LXXXV.

UT de Aleandro crederem, addu-
 ctus sum tuis unis & alteris literis.
 Qui non possim insignem hominis
 perfidiam non odisse? Odi sanè ho-
 minem & odero: utinam dignis mo-
 dis ulcisci possim! sed illum ulcise-
 tur perfidia sua? Interim faciemus,
 quòd necesse est: Nam quoniam ni-
 hil exprimerè ab illo, nihil ulla vi ex-
 torquere potes, rectà ad Principem
 adeas necesse est. Si rem totam,
 prout inter nos gesta est, expones, si
 verbis meis orabis, si prece & obse-
 cratione humili uteris, impetrabis,
 credo, ut hominem pertinacem &
 injustum aliqua ratione cogat, ut fi-
 dem præstet & obligationi debitoq;
 satisfaciatur. Quid enim refert, quo
 pacto adigatur? adigendus certè est.

Au-

Audio, eum, quoniam nihil aliud habet, quod exprobet, mihi artium optimarum studium, ut vitium, obijcere. Quid poterat stultius? Semper enim hæc studia honesta & utilia in primis existimata sunt: cum juventutem non minus, quam artes bellicæ alant & ornent, senectutem autem oblectent & sustentent. Quod porro sua in patriam officia vel potius merita extollit, mea deprimit, id verò mihi nullo modo ferendum est. Nam tamen si nihil mihi arrogo, tamen non tantum derogo, ut illum melius, quam me putem de Republ. meruisse. Præstiti publico non minus certè, quam debui: plus profectò, quam ullius animo aut consilio postulatum est. Sed quid huic homini facias? Video mihi cum illo non tantum de fortunis meis, sed etiam de omni fama mea decertandum esse. Quorum alterum mihi facere necesse est, ni pecuniam perdere volo, alterum faciam

am libenter: sed ut de re prius, post de verbis dimicemus. Vale!

LXXXVI.

Quamquam impeditus eram multis operosisq; negotiis, tamen hoc quoq; negotioli, quod dedisti, libenter suscepi. Neq; enim hoc paulum dare non potui vel amicitia, quæ ea lege inter nos coit, ut idem ambo semper velimus: vel defuncti memoriæ patris, quam vel amplissimis consecrare monumentis, si facultas idonea tulisset, debebam. Igitur si poemâ placet, uteris eo, ut voles; sin minus, non gravabor admonitu tuo totum ad incudem revocare. Vale!

LXXXVII.

DEI beneficio integra adhuc valetudine sum, etsi in molesto hoc difficiliq; itinere multa quoq; contra valetudinis commodum agenda fuerunt. Simul atq; negotia egero, quæ tum publicè, tum privatim commissa sunt, reditorem non differam. Nam

urget

urget autumnus & periculosa tam
duro anni tempore navigatio. Tan-
tis per res nostras primùm DEO, de-
inde & tuæ commendo fidei: quòd
scio, te solum me solida diligentia,
non adumbrata, complecti. Bene
Vale!

LXXXVIII.

MIraris, me jam diu nihil ad te scri-
bere: Ego verò mi Bucere, quo-
ties fida occasio data est, familiare
officium non distuli. Eam nunc of-
fert civis Lipsiensis, qui mercaturis
faciendis quotannis ad vos proficisci-
tur. Quippe is mihi pollicitus est, si
quid literarum daturus essem, se cu-
raturum, ut tibi in manus veniret.
Quæ pollicitatio mihi adeò grata ac-
cidit, ut illi vicissim receperim, te ho-
noris mei causa illum libenter adju-
turum, si qua in re tui consilii aut o-
pis indigeret. Quod tu non solum
libenter facies, sed etiam per redeun-
tem prolixè scribes, quid valeas, quo-
modò

modò advocatio tua succedat, & quid
agat communis Mæcenas: Cui mul-
tam à me salutem & fidum obsequi-
um nunciabis. Salutabis etiam popu-
lares meos & veteres sodales, si quæ
nominis nostri memoria, hac scriptio-
ne renovata, delectat. Vale!

LXXXVIX.

Solent illi, qui sperant propediem
ad colloquium conspectumque
venire, literis scribendis abstinere.
Ego contra breve intervallum
itineris mei sermone vacuum esse
non patiar; primùm, ut me jam ad-
ventare ac propè adesse scias: Dein-
de, ut illam ipsam hospitalem sedem,
in quam me deducere srevisti, sine
mora instruas ac ornes; tum verò, ut
cænam mihi & comitibus meis pares.
Nam constituimus, hos aliquot dies
tecum sumere & domi tuæ edere ac
bibere, opiparè & apparatè, ut spe-
ramus: jucundè sanè & hilariter. Ob
has

has causas epistolam, venturus ipse, præmitto. Sed hic de eo filere non debeo, quòd præsentiam meam tantoperè flagitasti. Nam cavendum mihi est, ne, dissimulando responsum, desideria tua ambitiosè amplexus esse videar; qui nihil magis in votis habeo, quàm consuetudine & familiaritate tua perpetuò frui: Hanc sanè fortunam mihi inprimis optandam expetendamqve esse duco. Quò etiam majorem gratiam habeo optimæ tuæ erga me voluntati: id unum sedulò curaturus, ut Domine intelligas, potuisse me elegantia scriptorum à te superari, studio & amore non posse. Vale!

XC.

Multum Achilles fortunæ, multum Æneas debuit, quòd præcones actionum suarum Homerum & Virgilium habuerunt: At ego gaudeo, si nunc est ullus gaudendi locus, quòd eventus Principis, utinam pro-

spe-

superiores, te scriptorem florentissimum nacti sunt. Id enim proximis literis tuis non obscurè minaris: Unde spes est, fore, ut nostris quoq; oculis, qui procul ab aula & exercitu agimus, studio tuo sæpè aliqua species & notio rerum gestarum subministratur. Itaq; & Principi gratulor, cui fortuna talem buccinatorem laudis & gloriæ providit, & facundiæ tuæ, quæ rerum magnitudinem gravitate styli exæquat. Præstabit Divinus favor, ut copiosæ eloquentiæ tuæ nunquam sit inops argumentum rerum lætarum. Vale!

XCI.

TE ad veteres Musas quasi postliminiò revertisse, dici non potest, quàm mihi volupe sit. Restat, ut post hac rectà ad gloriam via grasseris. Quod ut possis, DEO propitio inprimis opus est: cujus beneficio doctorem aliquem reperies, qui idem sit vivendi præceptor atq; dicendi.

Quòd

Quod si nostris quoq; interdum ut consiliis volueris, mea quidem opera ac studium tibi nunquam deerit. Nam id tibi persuadeas velim, secundas re-
tias mihi non minori voluptati fore quam adversæ tuæ fortunæ mihi ante-
tea mœrori fuerunt. Quamobrem
ut initio monui, pietate tua & optimi
cujusq; consiliis ad veram felicitatem
contende, ne, si absq; his ducit us ite
ingrediaris, vita & instituto præcep-
ac devius à scopo infelicitèr abe-
res atq; recedas. Vale!

XCII.

Denuò me incommoda valetudo
qua non ita pridem emerſi, duo
decimum jam diem in lecto tenui.
Cruciati penè incredibili, maximè
certè, & cui interdum, quantumvis
forti animo, vix resisto. Nam ad ve-
tus malum, quod pedes & membra
gradiendi afficit, accessit dolor vi-
consolabilis axillæ dexteræ, cujus
sensus acerbus pariter per totum
ho-

hoc corpus, exhaustum vigiliis cru-
ciatibusq; debilitatum, diffunditur.
Nec spes est recreandæ valetudinis
in hoc deserto, ob defectum medi-
cinæ & subitam ac sævam hyemem.
Utinam dolores tolerabiles sint, fer-
re non recusarem. Sed Dominus est,
qui peccatis meis provocatus urit &
secat: Cui in hac vita non oblatrabo:
modò parcat in illa altera. Hæc alie-
na manu scripsi, quia mea non potui.
Vale!

XCIII.

Autoritate & exemplo in vita hu-
mana multa fiunt. Nam quod
optimi cujusq; exemplo fit, id jure
fieri putatur. Sed in hac imitatione
præprimis observanda videtur me-
diocritas illa, quæ est inter nimium
& parum. Et quamvis utrumq; sit
vitium, solet tamen, nimium quod
est, vehementius offendere, quàm id,
quod videtur parum. Igitur, post-
quam te magistro atq; doctore ami-
Z cos

cos honorare munusculis didici, id inprimis cavi, ne in largiendo nimius essem. Vides, quorsum descendat oratio. Nempe ut exiguitatem muneris, quod mihi, apud animum tuum defendam. Omnino luxuriæ & voluptati nihil, usui exiguum quid, necessitati tantum ferè, quantum satis esse fortunis bonisq; meis duxi, rependi magis, quàm donavi. Facies, quod sapiens creditor solet, ut prius, quàm de toto in discrimen venias, partem debiti etiam libenter accipias, Vale!

XCIV.

Clientem tuum dignitati, unde me absente dejectus est, accepto rescripto Principis, restitimus. Tanta apud nos iudicii tui antiquitas fuit, ut differri, quæ consilio tuo facta sunt, instar novæ injuriæ duxerimus. Tibi igitur recuperatum decus, tibi integram conservationem famæ & estimationis acceptam ferat, necesse est

est. Nam ut justitiæ Regis rescriptum, quo restitutus est, ita beneficio tuo ejus impetrationem & studium nostrum debet. Vale!

XCV.

ET tibi dignitatem, ad quam per gratiam Principis evehctus es, gratulor, & mihi gaudeo, quòd posthac non solum prope me, sed planè mecum habiturus sim, quicum mea omnia tutò communicem. Veni modò, ut lætitiæ nostram & venerationem tui coràm experiaris. Intereà, dum hanc nobis voluptatem objicias, negotia tua non minore labore tuebor, quàm antea: A te vicissim amari, & quid roboris quoq; die ad salutem accedat, quidq; istic agatur, ex literis tuis, Mi Comes, cupio cognoscere. Vale!

XCVI.

DE eruditione & doctrina scholarum copiosè tu quidem & elegantè: ego quid dicam, non habeo.

Nam nec magna spe, si verum fateri volumus, nec nulla sumus: plurimum fiducia in prudentia & cura Principis positum habemus: qui utinam consilii tuis indies magis excitetur. Tunc demum eloquentiam aut, sicut loqueris, copiosè loquentem illam sapientiam, in Theologo & jurisconsulto non desiderabis. Nam nunc ad majestatem scientiarum illotis manibus accedunt adolescentes pleriq; genus hominum rude, hebes & impolitum. Et hi tamen mox in aula foro & cathedris regnant. Hic meus, quem commendo, aliis moribus est: planè dignus, qui in aula, foro & academiis imperet. Tu hominem audi & judica: Doctum & eloquentem esse fateberis: illud, quia scienter & peritè, hoc, quia copiosè & ornatè de re quavis proposita differitè disputat, judicat. Vale & amantem amia, vel, ut ita dicam, redama.

XCVII.

Efferor lætitia, & gaudio longius digredior, dum officia humanitatis inter nos æqualia ac paria esse video. Atq; ideò, omnibus negotiis omissis vel per otium gestis, unum hoc diligenter ago, ut tui similes ad exercendum stylum invitent. Non convenit enim, cum vos ad referendam gratiam tam sitis expediti, me ad promerendum beneficium tardior rem esse. Possem plura & fortasse deberem; sed hominis modestissimi pudorem blanda vanitate non oportet onerari. Vale & tam doctas & elegantes literas sapiùs mitte. Ego si ingenii tui præstantiam imitatione consequi non possum, voluntate certè proximè accedam, iterum Vale!

XCVIII.

Tuæ consuetudinis erat, cum adesses, causas litigantium diligentia meæ committere. Id officium, postquam tu cessas, ipse suscipio, tibiq;

biq; in aula degenti lites amicorum non modò commissas, sed etiam commendatas esse cupio. Quàm promptus imitator studiorum tucru sim, vides. Osi te nunc vicissim ad exemplum meum fingas & accommodes! ut eadem facilitate causam, à me fidei tuæ concreditam, suscipias, qua frequenter à te ingestas admisi. Et sanè jus fasq; est, facta te ejus imitari, qui tua imitando consecutur, Vale!

XCIX.

QVòd memoriam amicitiae nostrae misso scripto renovasti, gratum fuit. Quanquam hujus beneficii non tu author, sed executor fuisti. Nam Zuerius noster, cum se bajulum epistolae tuæ obtulisset, à te, ut hanc ad me exarares, impetravit. Est hujus seculi labes quaedam & macula, bonis aliorum marcescere; Ego tamen amicis meis nò invideo, si quid utilitatis ex literis tuis consequuntur. Illud dico,

dico, multò præstantius esse, officio spontè, quàm alieno instinctu satisfacere. Quare, si me audis, beneficium voluntarium posthac precario longè antepone. Illud subinde amor & studium, hoc interdum religio & pietas præstet. Vale!

C.

JUVENIS, qui has literas tibi, ut spero, reddet, tuas mihi exhibuit: Ex quibus intellexi, te ex eodem solo, in quo ego ortus & procreatus sum, oriundum, non tantum me ipsum optimè nosse, sed etiam propinquos & consanguineos meos notos & cognitos habere. Quorum nonnullos adhuc in vivis esse, Tobiam autem Gertnerum fato functum, ex literis fratris mei antea cognoveram. Quamvis autem te honesto apud nos loco ac numero videre tam mihi volupe foret, quàm quod maximè; tamen in hac perturbatione rerum & confusione temporum non video, quomo-

dò hic locus tibi utilitati aut emolumento esse queat. Nondum e nim hic omni periculo defuncti sumus: Et subverendum est, ne quando atra in vicinia coëat nubes, quæ, cum minime speres, in nos detonet. Deus id omen avertat, provinciam nostram ab omni invasione hostili tutam inoffensamq; conservet, te quoq; , cui fausta omnia ex animo precor. Vale.



CHRI-

CHRISTOPHORI GERTNERI

a

GARTENBERG

EPISTOLARUM
FAMILIARIUMCENTURIA
SEXTA.

I.

Merebitur opem tuam, ut spero, caussa amici & pernecessarii mei; quo nemo mihi est amior, nec jucundior, nec charior. Quod idè adscribendum duxi, ut intelligas, non me minus, quàm illum, tibi pro opera, quam ipsi navabis, addictum, deditum, obstrictum fore. Vale!

II.

Venit tandem tempus & illuxit aliquando dies ille, quo tuam er-

Z 5

game

ga me diligentiam re ipsa demonstras. Domum ligneam, quam apud vos habeo, cum lapidea commutare constitui. Et ideo operam ac studium tuum in hoc desidero, ut omnia, quæ ad ædificatiunculam istam necessaria sunt, veluti materia, calx, cæmentum & alia hujusmodi, in tempore comparentur. Staius noster rerum pretia ministrabit: Cura tua id tantum providebit, ut omnia quam rectissime emantur. Quod te pro tuo erga me studio diligenter curaturum confido: Qui in omnibus rebus, quas hic agi, quas à me curari voles, ad reddendam vicem non impar futurus sum. Vale!

III.

UT sementem feceris, inquit orator, ita metes. Verum hoc effectum non semper nec ubique verum esse, calamitas agelli mei testatur. Nam semente rite & suo tempore facta, messis amissa est. Ergo non

vicio

vicio seminantis, sed studio irati cæli, sterilitas ista imputanda. Siligo & hordeum siti veteris ubertatis planè exaruerunt: avena, vilissimum genus frumenti, spicis uberibus & crebris luxuriatur. Inde tibi honorem muneris anniversarii exhibebo. Æquum est, ut mea de te cura tempore vindemiolæ tuæ relatu piæ vicissitudinis mitigetur. Vale.

IV.

INopia amicorum & necessitate contactus nuper ad tuam opem confugi: quam mihi in causa maximi momenti non salutarem solum, sed etiam magno ad victoriam adiumento fore sperabam. Verum occupatio tua spem meam tunc quidem fefellit. Quare nunc quodammodo indebito fungor officio: dum causam tuam ne admonitus quidem hic ago, omnique ope & opera enitor, ut vincas. Qui admonitu meo hujus auspiciis officii facere debuisti, nunc saltè exem-

Z 6

plo

plo meo ad imitationem provocaberis. Vale!

V.

Voluntarium beneficium sæpius tribuis: necessarium nunc preces meæ debent elicere: quarum hæc summa est, ut literas his inclusas Principi, cum primùm id opportunè facere potes, exhibeas, & responsum mihi ad ea, quæ vi & necessitate coactus peto, mite & liberale impetres. Ut quisq; maximè opis indiget, ita ei potissimum oportet opitulari. Vale!

VI.

Negotia tua hic procurare non omitto, etsi gratiam mutua non dum reporto. Scio enim, te plerumq; non in amicos negligentem, sed implicatum molestis operosisq; negotiis, amicitia hæc munia intermittere. Quapropter satis esse puto vel ad necessitates meas vel ad laudem tuam, ut tantum huic studio relinquant, quantum vacat à publico offi-

officio & munere. Nam tua qualiscunq; cura negotiorum meorum me quoq; ad diligentiam rerum tuarum excitabit: quas ne sic quidem negligo, etsi documentum tuæ erga me voluntatis paræ ac mutua nondum dedisti. Vale!

VII.

Modestia tuæ, non occupationibus meis, imputandum est, Comes Illustrissime, quòd tantis de rebus nulla mihi hactenus mandata dedisti: ac ne nunc quidem nominatim quicquam mandas; sed te totum, ut scribis, meo amori fideiq; commendas. Ego verò nolim te putare, me quicquam malle, quàm ut tuis tuorumq; mandatis satisfaciam. Quippe non minùs prolixè mihi de tua voluntate promitto. Sume igitur fiduciam, ad quam mea erga te voluntas & studium provocat, & gratam tibi fuisse animi mei hanc propensionem

affiduitate mandatorum tuorum declarata. Vale!

VIII.

Multa & magna beneficia mihi favor tuus olim tribuit: Nunc lamentabili querimonia petitionem meam vel antevertis vel declinas. Ubi verò robur animi consiliūq; tui, quo me aliosq; contra fortunæ tela firmare sœvistis? Dignum gravi & constanti viro recipe animum & quæ mutari non possunt, desiste flere. Leviora tibi cuncta esse debent laude fortis & constantis animi: Cui nullo casu hoc accidere potest, ut ulla intermissio fiat officii. Cur enim langvorige ocioq; dedas, & tuorum negligens mœrori, affectui antea non tuo, obtemperes? quin potius rem tuam agis & reliquias patrimonii miseras & afflictas tueris & conservas: ne his neglectis dolorem non necessarium pascas, & necessarios tuos fame enectos, destituas. Vale!

IX.

IX.

Quod ego facere nunc ingredior, ut, tibi nec beneficio nec ullo meo merito cognitus, in causâ amici opem à te petam, id te ad similem fiduciam provocare debet. Nam non rarò tua quoq; negotia hic opera ac studio alterius indigent. Quare & amico indigenti libenter opitulare, & mihi vicissim significa, qua in re mea tibi opera & studium usui esse queat. Vicissitudo postulatorum efficiet, ut amicitia, beneficio tuo inchoata, studio meo valescat. Vale!

X.

Tu quidem intermissione litterarum amicitiam nostram sensim dissuis: vel quòd moribus meis minùs delectaris, vel quòd ab amicitia afflictata transfugis & novis amoribus indulges. Prudenter fateor, & longè melius hoc facis, quàm si amicitiam repenti discinderes. Sed nec in hoc te sequar, nec in illo imitabor: qui

quæ amicitiam nostram, si fieri possit, firmam ac stabilem manere usq; ad extremum vitæ diem cupio. Atque ideo commercium literarum, quod silentio tuo interruptum est, missa larga salutatione instauro: Nec dubito, te saltem redditurum officium, quod à te erat inchoandum. Vale!

XI.

AMo inventores artium: Non quod mihi cum ejusmodi hominibus commercium ullius rei; sed quod diligentia illa, quæ investigat occulta, & inventio atq; excogitatio dicitur, effectrix est multarum & magnarum voluptatum. Merito igitur Excellentiæ tuæ præsentem sive inventorem sive artificem tubæ sermocinantis, ut ita dicam, commendo: Quippe tubam istam ille tanta arte concinnavit, ut non tantum rudem & inconditum sonum per ingens & immensum spacium transmittat; sed etiam voces ipsas ita reddat,

ut

ut ad quintum milliarium, (cum Romanis loquor) clarè & distinctè exaudiantur. Artificiosum opus & ipsâ Naturam vincens: quæ tamen in plerisque operibus, quæ arte nostra efficiamus, omnia artificiosius solet efficere. Illum talem artificem, quoniam ad te viam affectat, literis prosequi meis pertinere ad officium meum arbitror! Ut primum ei aditum sermo meus aperiat, ars & scientia ipsa illum in benevolentiam & gratiam tuam penitus insinuet. Vale!

XII.

Magno nos fructu jucunditatis intermissio literarum fraudavit. Non committam, ut longius progrediatur commune peccatum. Quippe recordatione voluptatis, quæ ex literis tuis percipitur, quasi mercede quadam ad officium impellor. Itaq; præsentem occasionem libenter amplexus, tibi salutem amplam defero. Invicem tu, si quid istic epistola dignum,

gnum, ne gravare scribere. In primis autem de valetudine tua. Nam nuper hic tristis rumor de te increbuit. Seis, quàm suspensum & anxium sit, de eo, quem unice ames, diu nihil scire. Quo impensius rogo, ut missis subinde literis & timori meo & valetudini consulas: Nam hanc ille facile labefactare potest atq; convelle- re. Verùm ista instaurando commercio literarum sufficiant. Restat, ut eadem hæc scriptio non nihil etiam utilitatis ei conferat, qui illam tibi reddet. Est enim mihi multis officiis & meritis conjunctus: ideoq; patrocinio tuo non indignus, si ego non sum. Habes, quàm charus mihi sit, quamq; gratus tibi esse mereatur: Ex literis tuis cognoscam, quàm tibi charus extiterit, quamq; mihi verso ordine gratus esse debeat. Sanè si placido illum ore admiseris, illius honorem, si rejeceris, meum dedecus putabo. Vale!

XIII.

XIII.

Literæ tuæ faciunt, ut in medio dolore & desiderio tui lætemur, Nam & te valere nunciant & prope- diem hic fore pollicentur: Utrumq; tam gratum, quàm quod maximè. Plura me scribere spes propinqui re- ditus tui non sinit. Verùm epistolæ hujus contractio tunc compensabi- tur, cum coràm erimus & garriemus, quicquid in buccam venerit. Tantis- per vale!

XIV.

Cum Statio amicitiam mihi mul- torum officiorum ratio concilia- vit, hospitium voluntas utriusq; con- junxit. Vir bonus est, sed infelix. Ut miserandum tuoq; auxilio dignum judices, in lite diu fuit & opibus de- fendendis opes coactus est impende- re. Causam si examinare volueris, justissimam cognoscēs. Sed quia dif- fertur quotidie & procrastinatur, ve- rendum est, ne illis injusta videatur, qui-

quibus eam examinare non est commodum. Annos totos quatuordecim in diversis judiciis (collegia vocant) diversè exagitata fuit. Si moram cum lucro, quod ex victoria expectatur, compares, majus damnum temporis putes. Pluribus argumentis agerem, nisi pro Statio agerem, nisi apud te, quem scio magis misereri illorum, qui miserationem merentur, quam qui illam flagitant. Fac valeas & Statius meus intelligat, quantum commendationi meæ & justitiæ tribuas. Etiam atq; etiam vale!

XV.

HOc est, amicum esse! Non expectasti, ut aut ipse supplex ad te venirem, aut veniam à te per literas poscerem: Quippe alterutrum me facere oportuit. Prævenisti preces & vota mea: Et pro delicto, cujus impunitatem optare nondum audebā, beneficium reddidisti. O amicum! quid dicam, firmum & stabilem &

con-

constantem? Immo cui nullo casu hoc potest accidere, ut ulla intermissio fiat officii. Restat, ut & ego beneficia tua grato animo agnoscam, & tu ea styli assiduitate tuearis, vincasq; officiis magnitudinem dignitatis tuæ. Is enim verè amplitudine omni major est, quem maximi honores mediis parem faciunt. Vale!

XVI.

Magno me beneficio afficis, quoties mei, hominis penè infimi, mentionem apud Principem facis. Quòd autem nunquam sermonem de me nisi honorificum, nisi plenum amicissimi desiderii habes, Numen Divinum comprecor, ut te pro tanta in me benevolentia muneretur. Moras meas & silentium vel properus adventus meus, vel frequentior stylus sarciet: Ut crebris literis meis ad hujus etiam officii diligentiam provoceris. Vale!

XVII.

XVII.

Salutem hujus civitatis tibi præcipuæ curæ esse, multis jam argumentis compertum habemus. Atq; hinc in spem adducimur, posse imminentem ei calamitatem tuo præsertim auxilio ad salutem reduci. Nam pristinis ejus vulneribus cura & ope tua utcunq; sanatis, hoc novum incommodum repente exortum est, quod civibus omne commercium cum Belgis interdicitur. Accedit tanquam cumulo, aliquis infortunii, quod homines tenues & non tantum ultimi belli, sed etiam præsentis exhausti damnis, mercium Belgicarum, quas penes se habent, æstimationem fisco jubentur exsolvere. Ergo per te amoveri sperant imminentem ruina. Nec tibi grave aut difficile, eam rem perficere: aut quò difficilius, eò præclarius erit. Certè quo tempore Princeps, diademate auctus, plerisque calamitate aliqua laboranti-

rantibus benignè omnia remittit, eodem facilem se & exorabilem precibus fidissimæ civitatis præbebit. Augebit ista benignitas etiam temporum gloriam, si, quod fisco quærebatur, civium necessitatibus condonabitur. Vale!

XIX.

In gloriæ atque ignobiles candidati ambitiosa niti atq; confidere commendatione solent. Raschii nostri plurimis rebus spectata & nobilitata virtus tam accurata diligentia testimonii non indiget. Militiæ documentum in Polonia, mox in Finnonia dedit: Opera pacis principibus viris pariter in Germania & Svecia probavit. Superest, ut, post tot privatas functiones, etiam publico in officio specimen præstantiæ suæ præbeat: quod citò futurum arbitratur, si commendationem nostram apud Mæcenatem vel simplici assensu comprobaveris, Vale!

XIX.

XIX.

PLuribus ad te proficiscentibus literas honoris potius, quam gravioris negotii causâ præstare soleo. Nunc hujus muneris etiam aliqua necessitas mihi injuncta est ab eo, qui justitiæ tuæ commendari vehementer cupit. Cujus petitio cum ab æquitate non discrepet, causâ autem juris atq; justitiæ auxilia mereatur, danda est opera mihi, ne has literas indiligenter aut fastidiosè scripsisse videar. Homo ærumnosus, infelix, miser, affecta jam ætate, ut vides, ex judicio multiplici velut ex incendio nudus effugit. Quippe recuperandis fortunis fortunas ipsas impendere coactus est. Postquam ad tribunal principis ventum est, jus suum statim, opem auxiliumq; nullum obtinuit. Nam licet optimus Princeps, quæ salvo jure alterius concedi poterunt, statim tribuerit, dubia autem & controversa ut sine mora dijudica-

ren-

rentur, imperarit; Tamen nec auctoritate principis, nec fide judicii ad destinata pervenire adhuc potuit: quod potentes adversarii omni operâ atq; opera enitentur, ne ex rescripto Principis in possessionem agri mittatur, aut causâ reliqua ipso vivo dijudicetur. Igitur tot tantisque difficultatibus affectus, in tuam fidem, pietatem, misericordiam confugit. Erit justitiæ & benignitatis tuæ, eò Principem & judicium provocare, ne ulterius hominem innocentem improbitate adversariorum circumveniri & opprimi patiantur. Vale!

XX.

ALIis ad alias res, tibi ad causas infelicium bene agendas quædam divinitus adjuncta fortuna semper fuit. Quæ res fiduciam mihi addit, posse consanguinei mei afflictam fortunam dexteritate tua ad meliorem statum reduci. Illi quidem ad commovendum misericordiam tibi,

Aa

for-

fortunæ ipsius iniquitas, per quam de gradu dejectus, honore privatus est: ad promerendum favorem, ejus virtus & mea commendatio prodesse debet. Puto enim tantum apud te ponderis & momenti deprecationem meam habere, ut de eventu spectati boni dubitare non debeam, etiamsi quid magnum multaq; cogitationis & operæ petam. Quod commemorandum duxi, ut Domine perspicias, quid mihi de animo & amicitia tua pollicear, & quantum opis & præsidii clienti nostro hinc accessurum confidam. Vale.

XXI.

Rogabas superioribus literis, quæ in re servire meis commodis & rationibus deberes: Respondi, si operam ac studium, quod huic causæ feliciter navalli, etiam in usus futuros promitteres. Facis id quoq; & præsentem epistolam rebus meis, quasi perpetuam advocacionem polliceris

Qui

Quinon possim non lætari? Cum sciam, nihil adversarius meis nec in posterum quidem ex voto successurum: Contraq; mihi te defendente victoriam semper paratam fore. Ergò quando res ita fert, ut sollicita lætis mutentur, perge, quæso, gratissimis literis animum mihi exaugere: ut & mihi beneficium tuum proprium sit, & tibi gratia ejus rei perpetua eveniat. Vale!

XXII.

Expectas continuationem exercitationum mearum: Ut aliam ex alia nexam, & omnes, ut scribis, inter se aptas colligatasq; habeas. Placet judicium tuum de scriptis meis: Laus enim non exigua est rei, cujus copia requiritur. Quam tamen copiam tibi nunc displicere malim. Nā quid agat, quid moliat, quid parat hoc ingenium nec ad inveniendum aptum, nec ad ornandum copiosum, nec ad memoriam firmum aut diu-

Aa 2

tur-

turnum? Mitte tu igitur prior aliquid de doctissimis scriptis tuis, quod mihi exemplar proponam ad imitandum, ut sic saltem præclarum aliquod opus efficiam. Etsi hic quoque confidentia desipio, cum tibi audeo præclari quicquam promittere. Videro, ad quod argumentum inopem me copia tua provocatura sit. Tu tamen hoc perpende, me extra culpam fore, si non omnia omnibus, pariaque paribus respondeam, qui enim possim? Quippe aliud opus a bono & erudito magistro, aliud ab illo expectes, qui, quantum in ipso est, te inuictur, te sequitur, te imitatur. Vale.

XXIII.

GRatum omnino fuit, literas tuas sumere: gratius erit, te ipsum excipere, in manibus habere, amplecti. Quod nisi optem, non tantum inhumanus, sed ingratus prorsus habendus sim. Ego vero id semper optavi,

ex

ex quo Serenissimus Rex te sibi a sanctioribus consiliis esse voluit. Sed non testatus sum desiderium scribendo? Fateor: atque ideo nunc peccatum corrigo scriptione ex animo profecta. Sanè cum veneris, re ipsa ostendam, moram fortasse officio aliquid decessisse, amori nihil. Nam etsi gaudium meum post tot amicos serus quodammodo gratulator indico; Reveram tamen munus istud virtuti tuæ statim & quodammodo præ cæteris gratulatus sum. Lætabar enim te a Principe peregrè accersitum, cum jam nihil peteres: atque ideo, quod præsentem negatum erat, mihi nunc magis meruisse videbare. Quod profecto ita est. Nam ideo honor iste absenti haberi debuit, ut nihil ambitioni, nihil gratiæ deberes. Et tamen studio in me tuo aliquid tribuis. Humanitas ista quidem tua est: Cum te spontè demittas, ut extollas amantem. Surgo igitur, quando ita vis,

Aa 3

&

& gratia tua in hoc angulo mundi paulatim inclarescens, te in celeberrimo isto orbis theatro mox clarissimum auguror. Vale!

XXIV.

FAciam, quod cum ipse non possis, me facere jubes & optas. Diu nihil ad me literarum dedisti: sed non sequar exemplum. Nam scio, quantis occupationibus implicati sitis, qui summam rerum administratis. Atque ideo tibi tum his curis districto, cum aliis in rebus occupato, non tam voluntatem, quam otium deesse arbitror. Igitur animi tui certus officium meum libenter presto, tuum non exigo: Sed hoc te quoque abunde prestitisse putabo, si illi, qui tibi has literas reddidit, pro meo in te studio favor tuus responderit. Mihi enim fieri arbitrabor, quicquid amico & perneccessario meo benefeceris. vale.

XXV.

SI preces meae plus possent, quam merita patruelis, eas pro illo libenter interponerem. Sed quia illum sine precibus meis in clientelam tuam recepisti, plus videris meritis ejus, quam commendationi meae, quae seranimis foret, tribuere. Atque ideo non jam pro meo, sed pro tuo verba facerem: Cum cognatione quidem olim meus fuerit, sed nunc affectu totus tuus sit. Non possum tamen, quin pauca etiam pro invito dicam. Negotio alicui illum adinoveri satius foret, quam otioso & immerenti omnia tribui. Fateor quidem pro gratuita ejus receptione me tibi nihil non debere: Sed ut amplius debeam, fac quaeso, ut mereatur potius omnia, quam gratis fruatur. Non afferam nunc plura. Ipse cuius se negotio probabit: quia & eruditionem non vulgarem & voluntatem ad quaevis imperata tua promptam ad

te attulit. Sed quid ista commendo, propter quæ tibi dignus visus est, qui in familiam tuam reciperetur? Restat, ut negotia ipsi commissa atque concredita palam faciant, ideo à te receptum esse, ut operam ac studium suum tibi & aulæ multimodis probaret. Vale!

XXVI.

MAndari à me literis æternum laborum tuorum præconium facile mi Oleari charissime pateris. Sed si id quoque doctissima epistola aut versu testatus fueris, incitamento isto studium meum eriges & actus industriam. Vale!

XXVII.

Jucunda Regi oratio mea fuit, cum illi de animo tuo, deq; tuis studiis & actionibus, multa præclara narraui. Tuus sermo Mæcenati communi sanè quàm molestus accidit, cum de me pessima quæq; dixisti. Scire velim, apud Principem, an apud Mæcenatem,

natem, me vapulare rectius sit. Patroni certè odium non merui, cui de te nihil promisi: Principis fortasse iram, cujus gratiam tibi immerenti, etiam nonnihil pro amico mentiendo, eblanditus sum. Sed si tibi consuetudo maledicendi à natura est, argumentum aliud quære, ne in sterili exolescat. Meum erit, semper bene de te sentire & loqui, etiamsi tu contra omnia. Nō enim dedecus meū est, quōd de me malè loquaris, contraq; summa laus, quōd Princeps, quōd omnes noverunt, me tibi benefacere & dicere omnia. Vale!

XXIIX.

Quemadmodum nulla viperā tam venenata & pestifera est, cujus morsus medicus expertus, si in tempore adhibeatur, sanare non possit; Ita nulla calamitas, ab improbis & pestiferis hominibus invec̄ta, tanta est, cui fidelis amicus, si tempestivè subveniat, non facilè medeatur. As-

feritionem generalem, cum exemplo atq; instituto optimi cuiusq; tueri possim, tuo facto defendam: quod sicut maximè præclarum atq; divinū est, ita exponi cunctorum oculis ad imitandum in primis meretur. Ex literis plurimorum intellexi, quàm amanter mihi contra obrectatorem natura maleficum & nocentem ad fueris, quàm fortiter pestiferos & funestos ejus conatus refutaveris, quanta deniq; diligentia tam frigidam tamq; jejunam calumniam deleveris vel potius sustuleris: Ut vulnere, quod dentes viperei famæ & existimationi nostræ jam inflixerant, non homo, sed DEUS aliquis medicinam fecisse videatur. Quod officium si mihi, meis adductus precibus, præstitisses, ingratis simus essem, nisi humanitatem & benevolentiam tuam amplecterer & prædicarem. Nunc cum, me ignaro nec opinante, fortunis meis tantus & tam præsens defen-

for

for extiteris, magis pietatem tuam exosculor: quæ & tibi in demerendo magna fuit, & mihi in referenda gratia, si DEUS cum opportunitate facultatem dederit, maxima semper erit. Vale!

XXIX.

VEhementer eram sollicitus, antequam literas tuas sumerem, & in communibus malis præcipuo quodam dolore angebar. Sed ubi certior factus sum de gloriosa victoria, quam consecuti sumus, cura & sollicitudo in gaudium versa est. Præstabit opitulans ille nobis DEUS, ut, sicuti nunc læta de victore exercitu nunciasti, ita propediem optatissimos nuncios possis de classe mittere. Vale!

XXX.

Jamdium nihil ad nos novi de adventu Excellentie tuæ afferebatur, & provincia cunctatione mistam vix humaniter ferebat, cum impedimenta itineris tui missa scripta aperuerunt,

Aa 6

&

& simul sponſponderunt , te nullam ampliùs moram interpoſiturum, quin quàm primùm nos conſpectu præſentiaq; tua exhilares. Ergò, propenſæ & prolixæ omnium in te voluntatis ſecurus, appropera, & ampliſſimã Magiſtratum bono auſpicio capeſſe. Providebit cura participata Regionis & civitatis, quæ ad pompam receptionis tuæ pertinent; Noſtra autem diligentia, quicquid uſus domesticus poſtulat, diligenter etiam atq; etiam curabit. Vale!

XXXI.

Poſtrema tua epiſtola multis mihi nominibus gratiſſima fuit : Et quòd mihi ſignificaviſti, reditus tuus in Urbem qualis fuiſſet, & quis eſſet ſtatus præſentis fortunæ, atq; omnes res tuæ quemadmodum eſſent. Quã ſvavis autem, quàm benigna, quàm amica invitatio tua ad ſolenne nuptiarum tuarum ! Apparuit ſanè, te, quamvis ad novam amicitiam transgreſ-

greſſum, antiquam, quæ inter nos eſt, non exuiſſe. Quam noſtram amicitiam, quoniam corroboratiſſam confirmatiſq; ingeniis & ætatibus noſtris nullam ob rem extenuatur aut minuitur, æternam fore auguror. DEum autem omnipotentem, conditorem generis humani conſervatoremq;, ex animo precor, ut hujus etiam amicitie conſociatio tibi fauſtè, feliciter proſpereq; eveniat, hoc eſt, ut conjugium tuum jucundum & tranquillum ſit, inq; illo uno æterno DEO ſit vobis mens una, amor unus in tuo & novæ conjugis pectore. De Ariſtarchi convitio, quod mihi immerenti facit, ſic habeto, me DEO adjuvante id ita refutaturum, ut illũ vanitatis ſuæ, mendacii, malitiæ citò pœniteat. Tibi autem & communi Mæcenati deſenſionem meam mitam, ſimul atq; illam formavero. Etiam antequam Principi? etiam. Tu vale, & limam para, qua rem affe-

Etiam magis, quam confectam perpo-
lias perficiasq;. Vale.

XXXII.

REcè ne facturus sim, si isti tuo im-
modico pudori succenseam, an
rectius, si incogitantia meae irascar,
nec satis scio, nec, si scia, magno meo
bono dixerim. Quippe per illum
stetit, quò minus coram ostenderes,
quantum in studiis liberalissimis do-
ctrinisq; profecisses: per hanc factū
est, ut serò senserim, quantum utili-
tatis ex amicitia tua ad me redunda-
re possit. Tandem præter omnem
expectationem totum Frisium, quan-
tus quantus est, in oratione, quam ad
me misit, velut in speculo contem-
platus pariter & miratus sum. Etenim
in oratione illa & sensuum gravitas
& purum quasi quoddam atq; candi-
dum dicendi genus: quod à teneris
(ut dicunt) ungviculis unice amavi
& sectatus sum. Illud vereor, ne ho-
mines malevoli & tibi dispares in de-
decus

decus meum vertant, me ideò tot lau-
dibus ornari, quòd te talem virum
ad quaecumq; colloquium admise-
rim, cujus videndi cognoscendiq; gra-
tia nemo quantumvis longum iter fa-
cile recusaverit. Quod si in hac com-
muni nostra & quasi fatali conditione
propior usus & consuetudo in rem
nostram foret, libenter te hospitio
& mensa exciperem. Nam tota do-
mus superior vocat & familia mea,
quantulacumq; est, ambobus facile
sufficit. Sin rationibus tuis magis ex-
pedit, in patria consensere, tamen
Frisius meus primum semper hie lo-
cum obtinebit inter eos, quos præci-
puè amo & suspicio. Vale!

XXXIII.

Duplici me gaudio affecisti Marti-
ne doctissime, dum non magno,
verum aureolo libello, quem misisti,
epistolā addidisti multis verbis scri-
ptam. Nam & in illa literas depre-
hendi non vulgares, sed reconditas,
exqui-

exquisitas, disertas; & in hac doctas, blandas, elegantes; Utrobiq; ingenium acre, subtile, præstans. Quare duplici quoq; nomine tibi gratiam habeo: altero, quod me doces, quid mea causa hic potissimum faciendum fugiendumq; sit: altero, quod tuam mihi operam ac studium prolixè polliceris. Restat, ut me literis tuis porrò doceas, quid tua quoq; in causa, quam prudentibus commendare, imperitos edocere non desino, porrò facere vel fugere debeam. Nam, mea quidem sententiâ & opera danda est, ne tibi vulturius aliquis munus speratum præripiat, & adhibenda cautio, ut ne nimis citò provinciam, quam nuper admodum suscepisti, parvi emolumenti causa, deseruisse videare. Sed quid è re tua sit, tute rectius iudicaveris. Quare scribe, quid me facere vel fugere velis, & Vale!

XXXIV.

T Andem aliquando, postquam quatuor-

tuordecim dies totos incerto cursu, hyeme maxima, navigavi, salvus & incolumis hunc portum tenui. Quapropter te mihi felicem reditum gratulari volo. Quod profectò faceres, si scires, in quanto metu, quantoq; in discrimine unà cum cæteris fuerim, qui mecum Neptunia prata secabant. Nam primo statim die parum aberat, quin ad eundem scopulum offenderemus, ad quem navim Finnonicam afflictam vidimus. Deinde cum sinum Alandicum transmitteremus, & jam propè abessemus à qualicunq; portu, nox subinde & tenebræ obortæ sunt, ut summo cum periculo aut revehi in altum aut angustias illas intrare oporteret. Hoc functi periculo postredie longè majorem adiimus, cum in sinu altero, quem Watschif vocant, saxa inter & scopulos navigantibus tempestas, imbribus & nivibus foeda, omnem videndi prospiciendiq; sensum adimeret.

Nam

Nam nec magnetis lapidis usus nobis in scopuloso pelago ullus, nec anchoram in profundo ac, sine fundo, mari jacere non certa navis iactura erat. Fuit igitur tunc quidem maximum ab universo naufragio periculum, Hictu verò audire velles preces & vota periclitantium. Quid quaeris? Ne planè atheos cæteris viderer, ipse quoq; Divo cognomini, quem magnum vocant, nescio quid muneris pollicitus sum, si parvum hunc Christophorum servasset. Misso joco: Cum per horas aliquot, non minus ob turbidam tempestatem, quam propter caliginè & tenebras, in metu & periculo fuisset, rediit tandem sua caelo serenitas, & alterum in eodem sinu portum è specula, quæ in summo mali est, læti prospeximus. Hic tu fortassè nos omni functos periculo credas; Haud feceris, si scias. Quippe cum die postero rursus inter scopulos navigandum esset,

esset, sinusq; iste subito frigore & nivibus hesternis congelaret & quasi concrederet, navis immobilissime anchoris stetit, donec post octavū tandem diem novi nimbi novā nobis viam aperirent. Novam dico: Nam angustia, per quas exeundum erat, glacie rigebant. Quocirca nos exitum, quem fors dedit, non recusavimus. Et exinde minus quidem periculosè, non tamen sine metu & nausea navigavimus. Sed & hanc cita & felix trajetio lenivit. Quod superest itineris, terra conficiam, teq; de reditu in urbem, simul atq; appulero, certionem reddam. Vale!

XXXV.

NEquitquam neglecti officii arguimur, qui sex menses proximis gravi & periculoso morbo laboravimus: Ex quo nunc paululim recreati studium dicendæ salutis libenter usurpamus. Testabitur celeritas respon-

responsi, hoc genus scriptionis tibi non ingratum accidisse. Quippe inanes esse literas meas, quàm nullas malui, cum plura scribere nec corporis nec animi vires permiserint. Vale!

XXXVI.

NUdiustertius illustrissimus Dominus Gubernator de concilii sententia decrevit, ut tibi possessio daretur, quam petiisti. Quam possessione etsi jure meritoque visus es petere, tamen ex consuetudine veteri & antiquissima formula immisionum, ea decreto cautio adjicitur, ne quid cæteris creditoribus, qui jam in possessione sunt, de jure suo decedat. Itaque ego hætenus frustra conatus sum, ut possessio tibi in universa, quæ teneri & possideri possent, non in partem vacuum prædii, decerneretur. Quippe indignum visum est concilio, eum vel eos, qui ex edicto prætoris antea in possessionem venis-

venissent, ante causæ cognitionem de jure possidendi deturbari. Cui sententiæ, ut æquiori, ipse non invitus accessi: quandoquidem hoc pacto sua cuique permanet stabilis & certa possessio. Felices, qui de perpetua illa & sempiterna possessione bonorum securi certique sunt: quæ una nobis sufficere potest, quamvis, de hac temporaria pepulsi, in parvo tugurio relicti simus. Sed hac felicitate tum fruemur, cum nobis à rebus terrenis, quæ non ita diu duraturæ sunt, contigerit ocium & animus vacuus, arcana illa bona, quæ Christi nobis merito parta sunt, in altissimo silentio mentisque recessu recognoscendi. Cum sponsus nos introducet in cubiculum, in cellam penuriam & æternum illud cænaculum, ubi inter affluentes copias omnium rerum ambrosia & nectare alendi sumus. Vale & DEum pro me ora.

XXXVII.

SCis, optimi cuiusq; bonitatem per-
fugium esse miserorum & laboran-
tium. Itaq; minus miraberis, ado-
lescentem, qui hastit i, ut spero, red-
det, in tuam fidem, clientelam, mis-
ericordiam confugere. Probus est,
bene moratus est & planè bonus; sed
multis difficultatibus affectus affli-
ctusq;. Quò facilius illum admittes:
admittes? immò vero pro nota boni-
tate & in tuendis iis, quos semel con-
plexus es, perpetua constantia, sup-
plicem iuvabis. Vellem quidem,
eum consilium profectiois in adven-
tum tuum distulisse: quia coram con-
ferre consilia poteramus & miseri in-
opiã duplicata ope sublevare. Quòd
si & istic meo consilio & re mea uti
volet, absenti quoq; pro viribus non
deero. Sin rem istam sine opera &
ope mea confici posse putat, tamen
ille tibi non ignotus curius animi mei
hic

hic saltem commoda ejus provehere
non cessabit. Vale!

XXXIIX.

OMnino rebus suis rectè consule-
re videntur, qui se in fidem & cli-
entelam tuam conferunt. Nam haud
leve indicium prudentiæ est, summi
cuiusq; bonitate & potentia niti. Atq;
ideo Naumanni nostri egregium con-
siliium atq; omni laude dignum eò li-
bentis commendo, quòd in adoptan-
do patrono ac defensore, cui rem,
gratiam, dignitatem suam tuendam
traderet, hominem in primis domi
sue nobilem & potentem elegit. Fac
igitur, obsecro te, ut & ipsius expe-
ctationi & meo studio speratum au-
xilium respondeat. Vale!

XXXIIX.

Litteræ tuæ, quibus significasti, quid
responsi tuleris à debitore no-
stro, me diversè affecerunt: Nam
partim grata, partim odiosa conti-
nebant, Grata, quòd illum nuncia-
bant

bant ex villa mea quamprimum migraturum, ut ea vel locari conductori commodiori, vel, quod malim, emptori vacua tradi possit. Odiosum illud, quod pecuniam, quæ pro habitatione totius penè biennii debetur, nondum etiam numeratâ esse ostendebant: Quia non tantum nos spe vana tenemur, sed alios quoq; , quibus pecunia transcribi debebat, promissis nostris decipimus. At pro certo pollicetur atque confirmat, se, si villa sibi in annum alterum locetur, propediem & novo & veteri debito satisfacturum: fabulæ. Ego, ni Frosti, pollicitationes Magnatum pro calcæis ægrotantium puto: quos qui expectant, sæpè pedibus nudis ambulat. Quare satius esse duco, debitori, promissa sæpius iteranti nihil temerè credere: sic enim nec ipse rursus decipiar, nec alios amplius spe vana lactare necesse habebō. Vale!

XL.

XL.

Mitto libellos, quos à me petiisti. Magni non sunt, sed magnum affectum & in te tuosq; amore representant. Adjeci centurias novas, ac nescio, an veteres. Novæ sunt, quia nunc demum edendæ: veteres, quia magnam partem jam pridem scriptæ. Nunc uno libro omnes prodire in lucem gestiunt. Olim proclivior editio partium, quàm totius operis visa est, cum centuriæ singulæ ederentur. Atq; idèò impensas ipse feci. Quod nunc contrâ est. Nam dum totum opus vulgari debet, quæstum mihi institui sive impendio. Quippe Bibliopolam nactus sum, qui se librum non tantum suo sumptu editurum, sed etiam certo exemplorum numero diligentiam meam muneraturum pollicitus est. Nunc alias centurias molimur: Sed tardatur studium nostrum tumultu atq; trepidatione vicinæ Poloniae & nostro metu.

Bb

Disce-

Discedatur modò ab armis, & his etiam studiis locus erit. Quid, quòd vel inter arma literæ non negligendæ sunt? Nam ut, quæ bello conamur, succedant, scientia opus est: hanc literæ subministrant. Porro autem victoria non armis tantùm, sed virtute etiam bellantium comparatur: Ad quam percipiendam colendamq; literis imprimis adjuvatur. Vale!

XLI.

P Oena falsi & albi corrupti gravis est. Nam indignum visum est majoribus nostris, in ea civitate, quæ legibus teneatur, ita discedi à legibus, ut omnem iudicii expectationem ad suam libidinem arbitriumq; improbi ejusmodi dolis & prestigiis eluderent. Sed quid nunc magis commune & pervagatum, quàm corruptio actorum publicorum? quòd delictum non modò plerumq; impunitè, sed interdum etiam magna mer-

cede committitur. Exemplis & testimoniis agerem, nisi ea res nota & manifesta esset omnibus. Restat, ut in eos, qui officium iudicis, quòd semper omnibus sanctum, augustum & religiosum esse visum est, abominando scelere polluunt, legum severitas exerceatur. Quæ actio Excellentiae tuæ ex præscripto Principis servata est. Quare non est, quòd vereare facinus cunctis adhuc seculis severissimè vindicatum, ita ulcisci, ut illi, qui eo tenentur, digno supplicio afficiantur. Vale!

XLII.

S æpè mihi ultro universum studium tuum & benevolentiam detulisti & pollicitus es. En tibi tempus idoneum, quo te dextra in promissis & fide firma ostendas. Serenissimus Rex me posteris meis nobilitatis initium & virtutis exemplum esse voluit: Cui rei clypeum, solitum patremq; cæteris, in domo equestris or-

dinis decrevit. Ergo curam tuam efflagito in providendis iis, quæ dedicatio clypei desiderat. Pretia rerum Staius meus subministrabit. In eo tantum operam & studium tuum flagito, ut rem istam sumptu meo promoveas atq; perficias. Vale!

XLIII.

Amplissima redundo latitia, quod in summis occupationibus tuis etiam aliquid temporis rebus nostris impertis, & simul memoriam amicitiae nostræ scribendi assiduitate testaris. Atq; ideò exercendo stylo per rem diligentiam libenter impendo & fœnus accepti sermonis fideliter exsolvo. Superest, ut mihi vicissitudine frequentis alloquii respondeas, meque de successu rerum mearum identidem edoceas. Et quamvis ultra necessitatibus meis consulas; tamen subjungo petitum, ut negotia mea, quæ sponte suscepisti, his literis adductus perficias, Valeasq;.

XLIV

XLIV.

ET monere & moneri ad officium amici pertinet: alterum tu humaniter facis: alterum ego patienter fero. Planè enim convenit cum ingenio & instituto meo consilii tui ratio. Quippe in tanta hominum perfidia & iniquitate iniustitia modica non facile commoveor. Quid enim? Addeone graviter & acerbè feram, quod pulcherrimum illud factum, quod legum imperio & præscripto Principis gessi, ab illis ipsis reprehenditur, a quibus probari & amplissimis verbis laudari oportuit? Nam primum omnes noverunt, quod salutem Reipubl. meis commodis & rationibus semper prætuli: Tum mea mihi conscientia pluris est, quam omnium sermo. Nec præconia istorum moror & cætera laudis imitamenta. Quod si ullum rectè factorum testimonium affectandum foret, tuo unius, quam omnium istorum iudicio stare & ca-

B b 3

dere

dere malle. Quare non est, quod vereare, ne iniuquo animo qualem cunq; injuriam laturus sim: Est potius, quod mihi gratulare hunc animam qui contra impetus liuentium ita sapientia munitus est, ut sui securus eo fidenter contemnat ac pro nihilo putet. Vale!

XLV.

Mulctam, quam iudicium amicis tuo irrogauerat, Amplissim. ordo remisit. Tantum ponderis autoritas tua in hac re habuit. Nam lectis literis tuis statim auditus, & postquam causam dixit, omnibus sententia absolutus est: ne commendatiua tua vulgaris fuisse uideretur, nisi singularis omnium consensus in illo tunc extitisset. Tibi igitur studiis tuis senatus acceptum ferat. Nam ut beneficio Principis absolute merito ita tibi beneficii celeritatem debeas. Vale!

XLVI

XLVI.

Cum à Syecia redii, equum meum altero pede læsum & graviter claudicantem inveni. Aliud igitur animal, non cursibus, sed rhedæ aptum birota, quero: ut novo cultu meus splendescat reditus. Credo, tale pecus apud vos optimè comparari posse: Cum & Curlandia uestra eorum ferax sit, & eorum copiam Polonia vobis finitima subministret. Dignare igitur necessitatem meam diligenti investigatione sublevare. Non ero tardus ad rependendam vicissitudinem, si quid tuus etiam usus exegerit, nec in ulla parte officii claudicabo. Vale!

XLVII.

Non interpellarem occupationes tuas, nisi scirem, amorem & studium amicorum tibi nunquam in tempestivum, nunquam molestum accidere. Etsi nunc alia quoque scribendi causa est. Serenissimus Rex

Bb 4 vete-

Veteri meo amico dedit, ut in eo exercitu, qui nunc in Pomerania colligitur & congregatur, ordines duceret. Parum hoc esset ad commendationem, nisi eum simul tuo imperio subiectum scriberem. Nam ita, quia amicitiae nexu adhuc meus fuit, ratione officii tui esse coepit. Commendo illum benevolentiae tuae, ac nescio, an debeam? Vereor enim committere, ut nihilo plus egisse videar, quam si tibi te ipsum commendem, aut certe id, quod jam tuum est. Sed commendo tamen, ut, si oratu meo tibi commendatio extiterit, hoc saltem officio meum porro appellare possim, etsi deinceps proprietate & usu totus tuus erit. Quia tempus anni navigationi nondum aptum est, non venit ipse; sed nec causa comparandorum impedimentorum & caeteri apparatus bellici statim proficisci potest. Interim facit, quod necesse est, ut tibi per me de munere

munere accepto indicet, & una diploma Regium mittat. Sic etiam abfens se tibi in conspectum dat: cum non vultus in viro forti, sed animus spectandus sit. Vale!

XLVIII.

Qui hanc epistolam à me imperavit, meliorem causam habet, si quid ego in his causis video, quam iudici visa est esse: etsi ab illo iudicata atque damnata. Eam igitur sperat apud amplissimum ordinem facilius defendi amissaque recuperari posse, patrocinio tuo fretus: & ut confidat, faciunt officia fidelissima, quae aliis clientibus praestitisti. Ideo autem à me praesertim tibi commendari desideria sua voluit, quod testimonium meum saepius aliquid apud te momenti habuisse comperit. Itaque illum fiduciae & expectationi, quam de utroque habet, relinquens, hoc tantum audo, me quoque tibi pro officijs quae

quæ ipsi præstabis, obligatum fore.
Vale!

XLIX.

Primam scribendi causam ratio conditionis meæ præbuit, ut Excellentiæ tuæ officium & diligentem cultum tribuam: secundam epigrammæ viri in omni genere literarum elegantissimi, de obsidio Stetini & admirabilis ejus constantia, suggestit. Superest, ut debito officii nostri honor respondeat sermonis tui, & ut poetæ ingeniosissimo favor tuus eveniat. Vale!

Sustinet obsidium multis Vrbs nobilis
amis,

Exceditq; fide prodigiosa, fidem.

Continuas inter manet inconcussa ruinas,

Intrepida tenet tela Ducesq; manu.

Perpetuò moriens sibi stat tamen usq; superstes:

Alta super tumulos eminet illa suos.

Effugiet supremæ reor, vel scribito fama:

Vrbs nequirit fato nobiliore mori.

L, Tu

L.

TU quidem sponte tua omnes, qui opis tuæ indigent, libenter iuvas; sed propterea commendatio nostra ei non est deneganda, qui se tibi etiam commendatiorem fore sperat, quam ceteri, quam omnes sunt, si iudicio nostro tuam singularem curam ac studium mereri queat: Et ego de illo vereor, ne, si nihil aut minus diligenter scripserim, debitum ejus virtuti testimonium invitus tribuisse videar. Quare si & tu aliquid vadium, quod pro illo tibi promitto, tribuis, nolo dubites, dignum esse, quem cura tua præprimis respiciat. Quid ejus causa, quid mea te facere oporteat, vides. Scient omnes aut auxilium, quod interventu meo rebus ejus præstabis, aut eo denegato contumeliam meam. Vale!

LI.

Iter meum multa diverticula flexionesq; tardarunt. Nam ut nihil

Bb 6

nunc

nunc dicam de sinu, quem caussa vitandi periculi, quod rectè ituro à piratis & prædonibus instabat, multo anfractu transmissi; Cum Holmiam, mox Orebroam venissem, & de prælio apud Halmstadium facto ex literis multorum & nunciis cognovissem, nova circuitione per Ostro-Gothiam ad exercitum cogitabam. Sed cum jam progressus essem multorum dierum viam, ob intuta locorum deviis itineribus Scaram divertere necesse fuit: inde montosa & aspera via, quæ vix transitionem perviam habebat, tandem in castra apud Warbergum perveni. Nunc laborem ac molestias itineris Rex & Dominus meus solita gratia & benignitate solatur. Spero etiam fore, ut desideria mea quamprimum audiat & quæ gravi hoc & difficili Reipubl. tempore concedi possunt, statim tribuat. Ad hanc sanè spem me primo congressu colloquioq; erexit. Tu

vale

vale & DEum pro salute & incolumitate tam boni Regis mecum ora.

LII.

GRatus fuit honor salutationis, quem mihi Cassius noster jussu tuo retulit. Sed ubi idem nunciavit, quanta sit tibi jactura facta rei familiaris, in ægritudinem versa est prior delectatio: Qua ægritudine confectus essem, nisi restitissim dolori & rationi obtemperassem. Dolebam enim, & quodammodo jure dolebam, ad damnum vetus valetudinis tuæ, quod per se grave erat, novam jacturam fortunarum accessisse. Discussit nebulam, quamvis gravis & cruciantis ægritudinis, lumen ingenii consiliq; tui & ingentior adversis fortunæ animus: Quem sciebam, ut antea res secundas, ita nunc adversas moderatè & humaniter laturum. Quamquam & de jactura bonorum tolerabiliora spero, & oculis jam literas lætiores

tiores circumspicio. Præstabit temperans ille prosperis adversisq; nostris DEUS, ut incommoda brevis temporis prosperitatum diurnitate pensentur. Vale!

LIII.

DIu ambiguum habui, quodnam ad te scribendi initium sumerem. Nec enim, quid primum quererem, aut quem potissimum incusarem, sciebam. Ejusne scelus ac fraudem, qui olim nefariam mihi pestem machinatus, olim me vita & fortunis omnibus exturbare conatus est: an patroni credulitatem, an me potius improvidum, qui ab excitata fortuna ad inclinatam ac propè jacentem descivissem. Sed de tota hac re tacere satius est: ne & ego incognita pro cognitis habeam & tu his temerè assentiaris. Hoc tamen silendum non est, me pro summis meis officiis summam invidiam utrinq; contraxisse: Cui par esse vix possem, nisi fa-

vor

vor & gratia Principis me sustentaret ac tueretur. Quid autem? Interim ergò domo ista Gertnerus exulabit? alii in ea regnabunt? Mori millies præstabit, quàm hæc pati. Sed ista brevi coràm melius ac tutius. Vale.

LIV.

AMicitia, nullis officiis culta, jucunda esse non potest: Quò magis eniti debeo, ne aliquam tui colendi facultatem omittam. Nunc autem occasionem ad scribendum amplam nactus sum. Nam rusticus tuus tabellarium se mihi obtulit: quem si absq; literis meis dimittam, jam me ipsum inertiae desidiaq; condemnem. Quanquam istas magis ad testimonium memoris animi, quàm ad æquiparandum officium scribo. Quippe nihil aliud nunc, quàm me cum tota familia valere, nuncio: Et, ut invicem me indicio prosperorum tuorum munereris, opto. Vale!

LV.

LV.

TRecentos solidos à procuratore tuo in auro accepi : Fraudis me argue , nisi totidem , ad quam diem promisi , uxori tuæ reddidero . Sic me facturum recepi , etsi duplum tibi jam dudum per Syngrapham credidi . Quod nescio , cur non aliquando solvas , fidemq; tuam liberes . Satis enim constat , te præterea in ære alieno nullo , sed in tuis numis multis esse . Scio , hominibus religiosis opinionem istam de pecunia , quasi magna cum cura quaerenda sit , majori autem studio servanda , penitus instram esse . Sed quia vitia semel recepta crescunt cum tempore & caussa , quoq; modo mihi adigendus es , ut numeres . Vereor enim , ne posthac religiosior fias atq; ideo magis etiam invitus ex ære meo exas . Dices , vim hanc quidem esse : Quid refert , qua te ratione cogam ? cogam certè , ut aut debitum ante
bru-

brumam retribuas , aut ante veris initium minus religiosus videare . Vale !

LVI.

Hic dies apud nos in honore esse debet , quo meritis tuis serus ille quidè , sed iustus & debitus honor est habitus . Primò quòd æquum est , dignitati & amplitudini ejus , cuius virtute frui cupimus , ex animo favere : Deinde quòd honor , quem pleriq; loco prædæ accipiunt , tandem etiam dignum & merentem virum respexit : Postremò quòd idem dies dignitati tuæ & amicitiae nostræ auspiciam fecit . Quàm probabiles mihi gratulandi lætandiq; caussas literæ tuæ præbuerint , vides . Faxit DEus , ut & tu honore isto longum fruarè , & amicitia tua , mox summis officiis meis colenda , mihi indies novas gratulandi lætandiq; caussas præbeat ! vale .

LVII.

AMico in provinciam transmissuro , antequam navim conscendat
&

& vela faciat, coenam viaticam dare constitui: Cui te cum primis amicorum interesse & æquum est & oportet: Ut & præsentia tua honorem qualiscunq; convivii augeas, & ea occasione profectio communis amici nobiscum, quod bonum, faustum ac felix sit, precere. Non gravaberis, ut spero, amicitiam nostram hoc quoq; beneficio foenerari: Quod etsi ad testificationem tui erga nos studii pertinet, tamen in reddenda vice tibi à nobis conduplicabitur. Vale!

LVIII.

Longum silui, suspensus obscura spe & incerta expectatione adventus tui: Te quippe, proposito & jam constituto reditu, aliquamdiu à scribendis literis abstinuisse non immerito suspicabar, quod herum tuum cum tota familia jam jam affuturum optatissimi nuncii & literæ promiserant. Ergo spe ista conatuq; depulsi, redea-

redeamus, quaeso te, ad commerciorum frequentium paginarum: quas ipse non invitus auspicio, ut hoc officio inviteris ad respondendum, & ab incerto reversionis ad constantiam & firmitatem redeas pristinae tuae erga nos diligentiae. Puerit propositum ac penè suscepti itineris, quod diu nihil scripsisti: itinere in aliud tempus dilato, non eris tam indiligens nostri, ut ne provocatus quidem officium præstes, Vale!

LIX.

Vidi in superioribus literis tuis singularem de nobis curam & sollicitudinem tuam, & manifestò deprehendi, quo animo pro fortunis amicorum excubens vigilesq;. Magis igitur est, quod tibi gratias agam, quam quod te rogem, ut negotium meum agas atq; perficias. Id tantum opto, ut mihi hunc animum perseveres: Quamquam bonitas tua metuere me non sinit, ut aut tua erga me

beni-

benivolentia facile mutetur, aut bonæ artes præconio honesto non facile stimulentur. Vale!

LX.

MEum aspectum præsentiamq; tibi fastidio esse, perseverantia absentiaæ tuæ, ut credam, facit. Nam aliquot anni sunt, cum te domi meæ non vidi: quanquam te non fugit, domum alicujus salutandi & visendi causa ventitare, in summis officiis duci. Sed tuor constantiam observantiaæ meæ, nec declino à consuetudine assidua & quotidianæ salutationis. Tibi in manu est, hunc affectum animi mei in posterum præsentia tua firmare, vel absentia labefactare atq; convellere. Vale!

LXI.

Nimiùm diu desiderio me literarum tuarum torques: ut mihi jam omnia suspecta atq; sollicita esse incipiant. Scribe igitur, ubi primum poteris, ut mihi hanc de te curam & soli-

solicitudinem, hos diurnos & nocturnos metus adimas. Satis nobis esse ad non mediocrem luctum potest, quòd propriis calamitatibus, iisq; publicis cruciamur. Scilicet ea nos invidia studium conciliandæ pacis oneravit, in id discrimen desiderium & procuratio salutis publicæ nos induxit, ut ipsi vi & armis contra vim, quæ ab aliis prohibere gestiebamus, decertare atq; adeò de fortunis nostris dimicare necesse habeamus. Aut animus & rerum multarum prævisio me fallit, aut hac conspiratione hostium id agitur, ut nos non tantùm ex iis terris, quas trans Albim habemus, sed etiam, si fieri possit, è Pomerania atq; tota Germania expellant, & mari nostro ac scopulis tenus imperare jubeant. Sed quàm sæpè antea hostes de spe ista conatuq; depulsi fuerint, te non fugit. Dabit DEus, ut nunc quoq; nefarios & perditos illorum conatus feliciter refutemus ac repel-

repellamus. Vale & spem meam crebris literis confirma.

LXII.

UT plectrum poëticum moveam, fortuna epigrammatis, quod nuper mihi, & facilitas iudicii tui facit. Nam cum spes sit, fore, ut pari studium nostrum favore respicias, lentus in promerendo esse non debeo. Sic omnes laudis studio ducimur & speratis praesidiis provocamur ad audendum. Sumes igitur conclusivunculam, si non elegantia & subtilitate, at argumento & affectu parem, eamque simili assensu non indignam iudicabis. Acris incitatio ad scribendum legentis approbatio est. Vale!

Equid, ut obsidium Stetini cernitis, urbem

Cuilibet invicta creditis esse parem?

Vidimus Argivas, Romanas vidimus urbes:

Fortibus hac ausis non fuit ulla prior.

Nunc

Nunc mihi quantumvis pugnax tua gesta Saguntum,

Obijce et obsidii tempora duratui;
Sic aliquis superis hominum conferre labores,

Sic aquilæ imbellem jungere tentet avem.

Non tu balistis toties quasata trecentis.

Neve tot igniferis semper es usta globis:
Nec tua convulso defendere moenia vallo,

Neve tuos quasfis moenibus ausa Lares:
Cuncta quidem illius, superari nescia, virtus
Fortiter aut facere aut fortiter ausa pati.

Sin tibi crudeli sepeliri funere laus est;
Perdurasse, meæ gloria major erit:

LXIII.

Mensenius, educatione juventutis spectatus & cognitus, meum quoque applausum diligentia sua provocavit. Atque idem ad numerum meorum non immerito adscribitur. Illum autem talem ad favorem amplitudinis

nis tuæ aspirantem libenter com-
mendo, quæsoq; , ut exemplum no-
stræ erga illum facilitatis non inivus
imiteris. De cætero velim, des ne-
gotium alicui ex præsentî copia ad-
vocatorum , qui jus meum contra
malitiosum calumniatorem in judi-
cio persequatur. Statio meo inter
alia mandavi , ut te hujus reicorâm
admoneret: Quem si benignè audie-
ris, publica & majora curanti hujus
quoq; curam negotii opportuna sug-
gestionem feliciter, ut spero , insinua-
bit. Vale!

LXIV.

UT mandata patroni, quæ recepi,
efficere possim, operæ meæ fides
vicaria amicorum supponenda est.
Mandavit autem, ut prædium rusti-
cum , quod hic vicinîæ habet, gregi-
bus armentorum reliquiq; pecoris
instruerem atq; augerem. Si quid
igitur te tangunt desideria amicorû
absentium , quæso te, ut ex omni co-
pia

dia , quæ Belgium vestrum abundatè
vaccas viginti genere & fœcunditate
præstantes, nobilissimum item tau-
rum , & decem sues virilis & mulie-
bris sexus , diligenter feligas, atq; vil-
lico in rem præsentem misso tolera-
bili pretio coëmas. Velim autem,
non solum ex præsentibus gregibus
optimam quamq; bestiam eligas, sed
postea etiam excerpas ex his ipsis, si
quæ cæteris magnitudine & dignita-
te præstat. Dabitur opera, ut & ipse
erga te quam gratissimus cognoscar,
& patronus tibi amplissimis verbis
gratias agat, si huic negotio studium,
quod necessitas villici & commen-
datio mea expectat , impenderis.
Vale!

LXV.

Semper quidem infirmo, his proxi-
mis diebus etiam agro corpore
fui: Cui profectò corpori hæc con-
ditio vivendi data est, ut omnes acer-
bitates, omnes dolores cruciatusq; ve-
re

perferat. Sed nihil mihi ad dolorem
 acerbius accidere potuit, quàm tri-
 stes gravesq̃ue nuncii, qui de clade
 exercitus nostri afferebantur. Quip-
 pe iis adeò commotus sum, ut in mor-
 bum denuò inciderim & satis vehe-
 menter diuq̃; ægrotarim. Nunc
 postquam Divino favore, omnia le-
 viora esse vulgi rumoribus, cognovi-
 nova spes cum vetere desperatione,
 rerum omniū confligit: Et tantum
 ferè ad salutem proficio, quantum
 spes ista novis subinde literis confir-
 matur. Tibi igitur gratias ago, quòd
 tuis quoq̃; scriptis valetudini nostræ
 non leve momentum attulisti, te q̃ve
 rogo, ut, quantum valere me cupis,
 tantum expectationem meam aliis
 super alias literis juves. Vale!

LXVI.

Non oblitus consuetudinis atq̃ve
 instituti mei, sæpius ad te scribo
 &, si æquè apud te viget memoria
 mandatorum meorum, ut securum

me de voluntate Principis circa pro-
 fectionem meam reddas, identidem
 postulo. Crescit enim quotidie apud
 me desiderium visendæ urbis, cum ob
 causas alias, tum ob hanc præcipuè,
 quòd ratio officii mei exigit, ut, quæ
 ad commodum Principis, ad securita-
 tem hujus oppidi pertinent, in tem-
 pore indicem. Quas causas cum Prin-
 cipi, oratu meo, olim innuere de-
 bueris, miror, nihil adhuc à te factum
 esse, quod veterem de me curam &
 sollicitudinē tuā referat. Et quoniam
 indies magis crucior incertis, oravi
 communem Mœcenatem, ut sua te
 autoritate apud Principem juvaret.
 quod illū certò facturum esse confi-
 do. Tandem igitur ad consuetudi-
 nem veterem amantis & diligen-
 tis illius amici redi, & partes, quas
 sustines, ita exequere, ut exemplo
 operæ ac studii tui ad officiorum vi-
 cissitudinem invitetur. Vale!

LXVII.

LAudo eos, qui à te erudiri, & cùm cæteris artibus, quibus studuisti semper ipse, tum in primis eloquentia expoliri cupiunt. Certissimum enim argumentum atqve indicium prudentiæ est, optimis applicari. Ideò voluntati Helmerorum, qui studia literarum, in quibus sunt, tuo præsertim ductu atq; consilio perficere cupiunt, vehementer assentior: atq; illis hac epistola aditum ad tuam amicitiam libens patefacio. Facies, quod soles, ut & meæ commendationi & illorum votis prompta gratificatio respondeat. Vale!

LXIX.

AMicus hoc propinquo præstat, quòd inter propinquos invidia & odium esse potest, inter amicos non potest. Minus ergò miraberis, quid causæ sit, quòd Titium, summa amoris conspiratione mecum consentientem, in petitione magistratus propin-

quo

quo & necessario meo præferam. Amicus est, alter idem est: Quippe hoc à me dici non molestè fert, qui mihi ingenio, eruditione, prudentia & omnibus aliis rebus præstat. Hoc sufficere ad non mediocrem commendationem arbitror: Si tamen commendationis meæ indiget is, qui & me ipso longè est melior, & à te vel ideò diligitur, quòd ad artes tuas proximè accedit. Vale!

LXIX.

CUM novum impedimentum perfectioni meæ inconstantia hymis, & hinc orta difficultas viarum, afferat, cætera quidem præsentis sermoni reserventur: Hoc tamen non debeo differre, quod moram & tarditatem nullam patitur. Mitto igitur nunc rationes administrationis meæ, & simul tabulas accepti & expensi defuncti coloni tui: Cujus uxorem & liberos eodemnè jure ac mercede possidere, an agellum istum an-

Cc 3

no

no luctus immunem liberumq; arare velis, literæ tuæ ut sciam, facient. Quod si tu quoq; scire cupis, quam mox venturi simus, cum prima navigatione, si nos sanitas optata respererit, transmittere optamus. Vale!

LXX.

OPro, ut hæc epistola, salutis & incolumitatis meæ nuncia, tua omnia incolumia ac salva inveniat. Reddetur autem ab optimo & honestissimo viro: quem tibi pluribus verbis commendarem, nisi tua commendatio illum in meam amicitiam & familiaritatem insinuasset. Ergo cum nihil sit, quod literæ meæ pro illo possint, pro beneficio habebō, si ipsi animus istum perseveres: Nam tibi quidem fortunæ suæ initium, mihi perseverantiam debebit. Vale!

LXXI.

Novum beneficium à benignitate tua peto, etsi veteribus adhuc vici-

cissitudo debetur. Scio enim, in juvandis amicis majori te animo esse, quam ut vicem reposcas. Atq; ideo voluntatis tuæ securus identidem te rogare non dubito. Nec vereor, tarditas studii mei erga te, mutui ac parati, ne gratificationem tuam impediatur aut tardet: Cum animus in amore par ac mutuus spectetur. Vale!

LXXII.

Possem dilationem privilegii, quod petii, patienter ferre, nisi de sollicitatione Titii me dudum gravis nuncius perculisset. Metuo enim, ne, ubi libido & cupiditas tam gratiosi hominis dominatur, justitiæ leve præsidium sit. Atq; ideo te nunc etiam multo impensius rogo, ut subvenias huic meæ sollicitudini aut sperato rescripto Principis aut literis tuis. Nam cum securitatem mihi præstare rescriptum istud in primis possit, in secundis solatiis fiduciam numerabo, quam literæ tuæ suppeditabunt. Vale.

LXXIII.

Nihil tam naturæ aptum, tam convenienti ad res secundas vel ad-versas, quàm frequentatio sermonum & officiorum familiarium. Hinc non dubito Cassio proficiscenti has ad te literas dare, etsi paulò antè de eadem re copiosissimas dedi. Nequidem enim vereor, ne scriptio duplicata & idem significans tibi fastidium pariat. Ex meo quippe ingenio tuum judico. Quæ ne opinio de te mea me fallat, assiduitas literarum tuarum efficiet: Ea enim res me dubitare non sinet, te libenter sumere, quod aliis copiosè & largiter defers. Vale!

LXXIV.

Facio te judicem & arbitrum exercitationum mearum. Lege, si quid vacat à publico officio & munere, volu-men epigrammatum meorum. Cujus vulgandi causam cupiditas & studium amicorum ingessit. Nam non minus prolixè mihi de tua volun-tate

luntate polliceor. Quid Minos & Rhadamanthus, inexorabiles judices, de confidentia mea pronunciatu-ri sint, incertum est: Hoc certè mihi exprobrari posse non arbitror, quòd de tuo limatissimo judicio mihi omnia secundissima promitto: Cum etiam vulgi suffragantis puncta me-ruerim. Vale!

LXXV.

Quod mihi necesse est, non dubito, iterum ac sæpius à te petere. Quippe de agelli mei necessitatibus antea quoq; tecum per literas egi, teq; pluribus verbis rogavi, ut & damnis meis in præsens mederi & securitatem mihi in posterum præstare velles. Et te pro tua erga me diligentia rem istam sedulo agere credo. Cum tamen fortuna mea non tantum auxilii, sed etiam celeritatis indigeat; licet bene memorem iterata monitione convenio. Efficiet impetratio celeris remedii, ne mihi necesse

cesse fit, rem eandem decies petere.
Vale!

LXXVI.

Cum cogito, quot res cum publicæ, tum privatæ istic præsentiam meam flagitent, sine mora proficisci & ad vos omni festinatione properare cupio: Cum molestias profectiois hyemalis & simul tempestatum has varietates mutationesque considero, me anni hoc tempore in viam dare vereor. Unum igitur his incommodis & difficultatibus levamen literas esse arbitror: per quas etiam sine molestia itineris tecum colloqui & rebus meis utcunq; consulere queo. Nam ut præsentia tua mihi præcipuum solatium sufficeret; ita literæ tuæ in difficilibus rebus meis me sine remedio & allevamento esse non sinent. Vale!

LXXVII.

Scio desiderari & expectari à vobis præsentiam meam: Ut & ea, quæ
lite-

literis non pessimè inchoata sunt, oratione mea valescant, & cæteris desiderii vestris, me præsentem, bene provisâ principia ponantur. Verum cum profectiois meæ novum impedimentum inconstantia hyemis & hinc orta difficultas viarum afferat, has literas ad vos dare visum est, ut & amicitia satis fiat & vos, exemplum meum secuti, hoc interim spacio, solitudines meas talione (sit venia vocabulo falso suspecto) parilis curæ solemini. Valete!

LXXIIX.

Quam curam adhibuerim in causa generi tui, cognosces ex iis literis, quas de re tota ad illum diligentes dedi. Has nobilis adolescens, qui ex aula Serenissimæ Reginæ in patriam revertitur, à me impetravit. Tametsi enim nihil habebam, quod magnoperè scribendum esset, tamen pro mea erga te diligentia committere non debui, ut aliquem,

Qui ad vos proficisceretur, hinc sine literis meis dimitterem. De negotio civitatis nullum adhuc iudicium factum est. Sed opera dabitur, ut post festum paschatos, quo tempore plusculum otii purpuratis nostris erit, ista etiam res ex voto tuo iudicetur. De publicis hoc tempore vix audeo scribere: nisi quod hic velut navi lacera inter adversam tempestatem, fracto malo, amissis velis & antennis, vehimur. Quapropter ut è præsentis naufragio salvi enatemus non tam opem humanam, quam cœlestis auxilium respicimus. Etsi non tam metuo amissionem alicujus provincie transmarinæ, quam alia graviora. Vale & DEum mecum ora, ut Regem tueatur, ejusq; conatus animi plenos fortunet.

LXXIX.

Fasciculo, quem proximè misisti nullas ad te literas addidi. Nihil enim erat novi, quod aut ad te scriberem

rem, aut à te peterem; nisi forte in rem meam erat, petitionem agelli vacui, quam centies ingessi, impudentia continuata repetere. Quod non putabam, vel potius confidebam, omnia jam esse, ut volumus. Quod si quid præter spem fuerit, hoc est, si qua te res impedierit, quò minus satis in hac etiã causa desiderio nostro petitionique faceres, id ego quidem infelicitatimeæ, non tuæ perpetuæ & constanti erga me voluntati adscribam: neq; ob id desinam, præsidium firmissimum à benevolentia tua ad omnem statum dignitatis meæ spe summa sperare. Quod superest, DEum ex animo precor, ut tibi hunc animum fervet & simul corporis vires augeat, quo mihi & optimo cuiq; prodesse indices magis possis. Vale!

LXXX.

Commercium literarum, quod mihi tecum est, non inepte aliquis navibus, quæ ex Europa in Indiam profi-

proficiuntur, contulerit. Nam ut illa semel in anno onusta mercibus revertuntur; ita literæ tuæ singulis quoq; annis ad me perveniunt, gravis-
simis verbis sententiisq; plenæ. Cùm igitur nunc quoq; expectationi nostræ annuo suo proventu satis fecerint; meæ temporis sui debitum non fallent. Nec me puto in respondendo imparem fore, si pagina tuæ contractionem totidem penè verbis exæquo. Præstabit æternus ille annorum temporumq; moderator DEUS, ut has officiorum vices, quæ inter nos sunt, numerosus annorum recursus multiplicet. Vale!

LXXXI.

Quamquam perversè, ne dicam, imprudenter faciunt, qui meæ hominis nullo vobis officio noti, commendatione utuntur; tamen cùm è contrario humanitas vestra literatis sit notissima, hoc genus favoris postulantis invitè recusò. Est autem
hic

hic adolescens in spe, se aliquid subsidii in aula vestra impetraturum, si literis meis & patrocinio tuo juvetur. Quapropter facere non potui, quin & apud Principem vestrum pro illo intercederem, & te majorem in modum orarem, ut, sicubi adjuvare petitionem ejus potes, ei ne desis. Decet favere ingeniis, quæ bonis studiis atq; artibus expoliri cupiunt. Nam illorum usus sine controversia magnus est, & latè patet, & ad multos pertinet, & Mœcenatibus summo honori semper fuit & erit. Vale!

LXXXII.

Quemadmodum olim vidi & tanquam ex aliqua specula prospexi, quanta tempestas excitaretur in provinciis transmarinis, quantaq; impenderet procella nobilissimo huic Regno; ita nunc spero vel potiùs prævideo, hoc anno nos pacem & tranquillam omnia habituros. Nam primum Batavi, quorum sumptu bellum

lum hoc geritur, responsum Legato nostro dederunt planè pacificum: Dein Hispani pacem rebus suis non modò utilem, sed maximè etiam necessariam esse non dissimulant: Postremò Imperator, qui in propagatione finium Imperii proximis his annis adeò nihil promòvit, ut vix suas ditiones finesq; defenderit, non immeritò verebitur, ne si unà cum fœderatis principibus porrò frustra conetur, etiam dedecori sit. Quod si igitur hic & illi & isti ob causas, quas dixi, paci non adversantur, dubium non est, quin res brevi conventura sit! DEUS immortalis faxit, ne sit aliter!

LXXXIII.

EPigramma missi, quod tui convivæ non tantùm æquo animo, sed etiam libenti legent. Optarim autem, ut tunc demum legant, cum symphonia canet maximisq; poculis ministrabitur. Sic enim longè etiam magis

magis placitum confido. Tu verò indulge liberalitati, & convivium amicis tempestivum sæpius appara: quandoquidem omniatibi suppetunt, quæ vel excogitare ingenio vel consequi usu homines aut diligentia, ex utriusq; elementi benignitate, possunt. Ego me porrò sportula oblectabo, quam mittere subinde soles: adeò quidem largam, ut me interdum ipsum deliciis convivorum tuorum interesse putem. Vale!

LXXXIV.

Semper tua bonitas & fides in meis calamitatibus primam mihi aut præcipuam opem tulit. Sed nunc præter omnem expectationem oppresso jam desperatoq; subvenire & opitulari primus recusas. Ubi ergò ille Mœcenas meus, qui se natum ad homines juvandos, tutandos, conferandos semper putavit? Recipe verò dignam antiqua tua virtute animum & in periculis meis divinum aliquod auxi-

auxilium & Numen ostende. Aut si
jacentem & spoliatum restituere in
pristinum statum nequis, curæ certè
tibi sint reliquæ rerum mearum, quas
adversarii potentia perditas ac lace-
ras reliquit: Ut in hac judicium ini-
quitate saltem conservari possit, quod
nondum amissum est. Crede mihi,
ut quisq; opis maximè indiget, ita ei
potissimum opitulari in primis hone-
stum est. Vale!

LXXXV.

Nunc demum literas tuas tran-
quilla & serena fronte legere
potui, postquam cassam ex magna
tempestate salvam & incolumem ena-
vigasse nunciasti. Nam adhuc non
nisi graves nuncii de qualicunq; ja-
ctura navium nostrarum affereban-
tur, & casum communem omnes ti-
mebamus. Itaq; ex animo letor &
DEum precor, ne unquam in eum
casum fortuna robor imperii nostri
demittat, ut aut naufragio periclite-
tur

tur aut in victoriæ veteri possessione
non permaneat. Interim jucundi-
tati literarum tuarum non tantum
hilarem animum, sed etiam lætum
sermonem rependere oportet. Qua-
re vicissim sume, quod vestram de no-
bis curam & sollicitudinem mitiget.
Moscus exercitum, quem superioribus
diebus apud Plefcovium lustra-
vit, nulla interjecta mora dimisit, &
partem ejus in remotas amandavit
terras. Ut nihil jam periculi ab illa
parte metuamus. Sinat DEus hoc
inter nos manere commercium, ut
scribentis lætitiæ gaudia responden-
tis semper congruant. Vale!

LXXXVI.

SI vetus humanitas tua in audiendis
miserorum desiderii perseverat,
non dubito, quin etiam preces eo-
rum, qui has tibi reddent, eadem fa-
cilitate sis auditurus. Illi quidem,
velut duo naufragi in una tabula, è
naufragio fortunarum omnium ad
lito-

litora misericordiae tuae ejecti sunt. Nunc te orant atque obsecrant & obtestantur, ut innocentiae suae perfugium atque praesidium in clementia tua sit, ne iustitiae, quae sub felicissimis auspiciis Principis nostri erigere caput coepit, & pari ratione ad omnes manare, soli exortes esse cogantur. Sine igitur, te exorent, ut te iuvante tandem aliquando jus suum obtineant. Quid, quod etiam felicitatis & gloriae interest seculi, ut quemadmodum spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis commune est; ita iustitiam optimi Principis sentiant vota & necessitates cunctorum. Vale!

LXXXVII.

Letos ex provincia nuncios expectas: Atque ideo consulto distulisti stylum, donec literas mittere voto tuo congruentes possem. Sed rumores tristiores de irruptione Morschi, propter quem provincia tota in metu

metu fuit, non erant utique scribendi. Nunc postquam DEI beneficio parva aura laetioris rumoris vanitatem tristium sermonum coarguit, cura redit familiaris officii: quod dispensanda praeterita crebrioribus literis faciet. Sume igitur epistolam, seram quidem, sed expectationi tuae, ut spero, convenientem: Quae, ut diu procrastinata est, ita desiderium sui optatissimo nuncio levabit. Vale!

LXXXIIIX.

Meretur auxilium tuum casus miserabilis hominis miserandi. Civis Rigensis, quem vides, quo tempore Urbs obsidebatur, rogatu gubernatoris grandem pecuniam in praesidium Regium erogavit. Hanc repetiturus a benignissimo Rege, navim conscendit & eodem penè die, certè nocte, quae diem illum secuta est, in littore Curlandico naufragium fecit. Submersis omnibus, qui in scapham confugerant, ipse praeter spem

spem omnem in parte navis, quæ prominebat, cum filio servatus est. Nunc egestate coactus eidem se periculo fortunæq; committit. Quare illum quæso in curam tuam suscipe, ut, qui adversissima omnia in itinere est expertus, omnia secundissima in aula inveniat. Habebis me hujus beneficii non immemorem debitorem. Vale!

LXXXIX.

Superioribus literis non dubitavi à te petere, quod mihi esset maxime necessarium. Rex mihi, cum in castris apud Warbergam essem, prædolum donavit, nescio quotenorum jugerum. Parvum esse inde constat, quod prior possessor, in cujus defuncti locum succedimus, in toto isto agro minus duobus medimnis serere solitus est. Ergo illud petii, ut, quoniam agellus iste villicum non satiat, mihi jus fasq; esset, illum Civitatis, quæ magna & ampla prædia in
proxi

proximo habet, dividere. Te autem rogavi, ut mihi eam veniam à Principe impetrares. Eadem & illa nunc itero. Instar novi beneficii erit, si mihi potestas disponendi de veteri, ope tua, contigerit. Vale!

XC.

IN putandis rationibus cum Samsonio nostro operam meam ac studium hero tuo sum pollicitus; Negotium socius & particeps curæ ejusdem Schneckenschildius confecit. Grave igitur verecundiæ meæ foret, laboris alieni gratiam occupare: Nam ipsi soli acceptum ferendum est, quod amicitia nostra hero tuo promisit, imperitia in arithmeticis præstare non potuit. Vale!

XCI.

Gertnerus, tibi alioquin addictus, deditus, obstrictus, debitam rebus tuis operam, valetudine impeditus, navare non potuit. Oro igitur, ne inter ingratos annotetur. Sed
venia,

venia, quam posco, ipsi perennis ac propria esse non potest, nisi aliquid ei beneficium adjicias. Quapropter rem suavissimis moribus tuis dignam facies, si ipsi significabis, qua in re tibi porro usui esse debeat. Nam mandatis tuis adjutus, commoda valetudine delictum infirmæ aut nullius potius valetudinis facile amovebit. Vale!

XCII.

Vina tua veris & propriis sui generis laudibus ornarem, si otium & vires suppetere. Nunc domi obsessus à multitudine salutantium, & labore itineris defatigatus (ex vino vacillantem dicas, si videas) præconium apothecæ tuæ vinariæ differo. Præstabit frequentior liberalitas tua, ut dona tua & commodiore tempore & pleniore ore laudem. Vale!

XCIII.

XCIII.

SCIO, cum omnem ostentationem odiosam esse, tum verò illam ingenii & styli molestissimam. Sed favor tuus & benignum de scriptis meis iudicium fiduciam meam provocat. Denuo igitur mitto, quod tam æquus rerum æstimator libenter legas: Etsi cæteroquin illud nihilo aut non magno æstimandum puto. Quid expectas? duo epigrammata mitto: quorum unum audum, cum res ista ageretur à me scriptum est, alterum ex recenti dolore vel mœrore potius, quem optimus quisq; ex morte Samsonii nostri percepit, natum. Nolo mireris, me Virum omni laude dignum tam parè laudasse. Si introspicere in hunc animum, si oculos penitus inferre in hanc mentem queas, gravissimum de ejus meritis & divinis laudibus iudicium videas. Quod meum iudicium non verebor data occasione publicè testari. Sed ut prius

D d

tu

tu epigrammati nostro, dein ego meritum Samsonii debitam laudem tribuam. Vale!

In funus

HERMANNI SAMSONII,

U. CL.

Addite defuncto, decus immortale, Coronam:

Nam mortale quidem jam decus omne tulit.

Dum, sibi, dum patriæ, dum charis vixit amicis:

Consiliis latè notus et officii.

Nunc postquam, curis atque annis fessus, in ipso

Supremum clausit Consul honore diem;

Adde defuncto, decus immortale, Coronam;

Nam mortale quidem jam decus omne tulit.

XCIV.

Quod posthabitis rebus omnibus, quæ te istic morari possent, quamprimum redire ad nos decre-

visti, planè bene fecisti. Sed prope-rato opus est, ne alii novum Principem sibi vindicent, aut munus speratum tibi præripiant. Occasionem arripere prudentis est. Quod voluptati foris adimet festinatio, id domiutilitas multifariam pensabit. Sed quantum verborum pro reditu tuo facio? illa mitto, hunc flagito. Tu, quod in rem tuam erit, porro constitues valebisq;

XCV.

Honor nuptiarum communis amici adjuraenta ruris tui deposcit. Propediè enim cœna, quoad ejus fieri potest, magnifica & lauta celebrabuntur. Si quid igitur animum tuum movet amici necessitas, fac, quæso, ut venatores tui ex omni genere volatilium, quibus sylvæ tuæ abundant, præstantissima quæq; capiant, & homini ejus in rem misso æqua pretii definitione divendant. Ego tibi vicissim studium memoremq; animum

Dd 2

quavis

quavis occasione prolixè declarabo, si huic negotio curam & diligentiam, quam jus amicitiae nostrae postulat, benigne impenderis. Vale!

XCVI.

SI facultas mihi tui praesentis sapius esset, nunquam à consiliis tuis discreparem. Nam convenit, in rebus dubiis hos audire, his obtemperare, quos plus intelligere, quam nos, arbitramur. Hoc certè animo consilium tuum, plenum prudentiae & fidelitatis, tot tantisque difficultatibus affectus, libenter sum secutus. Intellexi enim, quae sunt in fortuna, non tantum temporibus regi, sed etià ratione & prudentia provideri posse. Dabit DEUS, ut consilio ab optima fide & optimo animo profecto, nunc quoque optabilis eventus respondeat. Vale!

XCVII.

PREVENIT diligentia tua studium meum, Nam amicitiam tecum

jun-

jungere olim decrevi. Sed verecundiae meae imputandum, non negligentiae, quod destinatum tibi cultum non prius indicavi. Restat, ut amicitia, ex studio tuo nata, officiis meis adulescat. Vale!

XCVIII.

QVando animi tui magnitudinem cum aliis in rebus, tum praecipue in amicitis conciliandis colendisque recordor, & diligentius mecum expendo, amicissimos meos non studio & observantia tantum, sed etiam liberalitate aliqua colendos esse intelligo. Ergo, tuo provocatus exemplo, convivium paro, ad quod tecum primis amicorum vocare decrevi. Non recusabis honorem honesti & moderati prandii, nisi meam in frequentandis tot coenis & prandiiis tuis impudentiam, qualicumque excusatione, notare atque reprehendere volueris. Vale!

D d 3

XCIX.

XCIX.
NOlo te commoveri incommodo
 valetudinis meæ. Nam postquam
 DEI beneficio dolores pedum remi-
 serunt, de valetudine admodum
 queri non possumus: Etsi adhuc in-
 diget firmitate: maximè accedenti-
 bus curis & molestiis, quas res perni-
 ciosissima in civitate, dissensio, quæ
 inter cives est, ingessit. Caterum
 valetudo mihi satis commoda vide-
 tur, ubi dolore careas & muneribus
 corporis utcunq̃ fungare. Vale!

C.
SÆpè optimè cogitata speratum
 exitum non habent. Quod nunc
 nobis usu venit: qui in reconcilianda
 veterè concordia & gratia civium,
 præter omnem expectationem, fru-
 strâ fuimus. Quippe initio spes com-
 positionis non desperatissima erat;
 quinimò res ista aliquo pacto con-
 ventura videbatur, si Consul Ben-
 ken-

kendorfius vitam ad plures curas
 produxisset, h. e. varias illas & in om-
 nem partem diffusas disputationes
 civium porrò moderari, & ceu navi-
 gium aliquod, qua prudentia & mo-
 deratione animi decreverat, ex hac
 Reipubl. tempestate intranquillum
 portum subducere potuisset. Testis
 suscepti consilii propositiq; sermo il-
 le, quem mecū pridè, quàm inmor-
 bum incideret, domi suæ habuit: qui
 sermo utinā omnibus aliis potius de
 hoc negotio postremus fuisset, quo-
 rû pertinacia, & studio vincendi, ea
 secuta sunt, quæ desleri magis, quàm
 enarrari possunt! Quod in Benken-
 dorfio amavimus, tacendum non est.
 Nam, ut alios inglorios & illaudatos
 merita oblivio obruat, Benkendor-
 fius, posteritatinarratus & traditus,
 in animis civium suorum, forè & in
 scriptis nostris, superstes erit, si nos
 erimus. Hæc est animi nostri desti-
 natio: quam etiam extemporali ver-
 su

su testari volumus, quem verum
aspernari non potes, si memoriam
optimi Consulis non potes. Vale!

In finis
JOHANNIS BENKENDORFII,
U. C. L.

Ergo meus sabiro quodq; BENKENDORFII
FIVS est u

Civibus eriperis, gloria quanta tuis?
Sic, populo veterem dum vis reparare quie-

tem,

Et tibi requies, et sine fine, datur.

O tibi gratia quies! O dulcia gaudia pacis,

Si populo nondum parva, reperta tibi!

Restat, ut inanimi Supremam corde prece-

mur:

Civibus alia quies sit, tibi molle solum!

F I N I S.

Lectio-

Quoniam satis hujus voluminis magnitudo crevit, reliquas centurias quae uor de bello sociali, quod proxime superioribus annis contra Galliam et Sveciam gestum est, et librum epigrammatum, quem promissimus, alteri volumini reservare visum est. Ut interim centurias editas aequi boni facias, et menda, quae nobis aliud agentibus irrepserunt, aliq; vel ab usu quotidiani sermonis intermissa, vel falso suspecta, mitiorem in partem interpreteris, etiam atq; etiam te, mi lector, oro. Scribes autem, si placet, pag. 3. pro Maecenas Maecenas. p. 10. pro spontaneis scribe voluntariis pag. 26. et sequentibus pro liber primus scrib. Centuria prima, pag. 36. pro constituit scrib. constituerit, pag. 116. et sequentibus pro Centuria prima scrib. Centuria secunda. p. 173. pro chalibis scribe chalybis 176. pro libris scribe liberis. pag. 185. pro non ulla scribe non nulla p. 240 pro telomi scribe portorii p. 263. pro incolume scribe incolumes. p. 264. pro cummutandis scrib. commutandis. p. 280. pro provium scribe provium, ibid. pro comitavi scribe comi-

